


HENRICI CANNEGIETERI
DISSERTATIO
DE
BRITTENBURGO, MATRIBUS BRITTIS, BRITANNICA HERBA, BRITTIA PROCOPIO MEMORATA, BRITANNORUMQUE ANTIQUISSIMIS PER GALLIAM ET GERMANIAM SEDIBUS.

HUIC ACCEDUNT


EJUSDEM NOTAE ATQUE OBSERVATIONES AD ABRAHAMI MUNTINGII V. C. DISSERTATIONEM HISTORICO-MEDICAM DE VERA ANTIQUORUM HERBA BRITANNICA.

AD

GERARDUM VAN LOON
HISTORICUM EXIMIUM.



HAGAE-COMITUM,
Apud PETRUM DE HONDT,
M. D. CC. XXXIV.



VIRO ILLUSTRI

GENEROSISSIMO AC NOBILISSIMO

EVERHARDO JOANNI BENJAMINO

BARONI DE GOLTSTEIN.

DOMINO GRUNTSVORDIAE ET APPELAE, CONSILIARIO AC PRAESIDI CAMERAE RATIONUM DUCATUS GELRIAE ET COMITATUS ZUTPHANIAE,

 EQUES.

DEDICATIO.

EQUESTRIS ORDINIS TEUTONICI EQUITI, ATQUE EX EODEM ORDINE TRAJECTENSI PRAEFECTURAE PRAEPOSITO, CIVITATIS ZUTPHANIAE CONSULI, ATQUE AD CONSESSUM PROCERUM, QUI ORDINANDIS COMITATUS HUJUS REDITIBUS PRAESUNT, DELEGATO, ALIISQUE LEGATIONIBUS SUMMIS PERFUNCTO, ACADEMIAE GELRICAE CURATORI

S. D.

HENRICUS CANNEGIETER.



Onsueverunt plerique omnes in optando Musis suis Patrono speciosoo Orationis ambitu consilii sui caussas cumulare. Sed qui Te novit ILLUSTRIS GOLTSTEINI *(ecquis autem est, ad cujus*

cujus aures tanti Nominis fama, & tantarum Virtutum, quibus excellis, Gloria non pervenit?) a me rationem non requiret, qua adductus Tuae Fidei meorum studiorum Patrocinium committo. Quae enim singulae Dotes Magnos Viros commendare solent, eas arcana Supremi Rerum Moderatoris Gubernatione in Te conjunctas admiramur. Mitto Antiquam Generis Tui Nobilitatem & Majorum Tuorum Decora. Quamquam enim haec innumera sunt & amplissima, quae remota Vetustas, avorumque & parentum memoria suspexit, in iis tamen nullum est, quin idem nostra aetas in Te veneretur. Longum est enumerare Laudes Omnium. Ecquid autem JOANNES GOLTSTEINIUS, *Abavus Tuus, Patriae suae praestitit, cum manu & consilio* CAROLO EGMONDANO *Fortissimo Gelriarum Duci, in rebus difficillimis adfuit, quod in Te nunc Patria desideret: Si ab Illius bellicis Operibus duntaxat discedimus? A quibus non Te Animus & voluntas, sed vi-*

tae Ratio ſapienter ſuſcepta retrahit. Hoc omnes conſentiunt, quibus Rei Publicae noſtrae Adminiſtratio eſt perſpecta, nulli Te Ejus Parti fuiſſe admotum, admotus autem es Partibus ſummis, quin Tua Cura ac Sapientia conſtituta fuerit, & pulchrius exornata. Ecquid Praeſidii, ecquid Ornamenti Batavae Muſae ſibi repoſitum ſunt arbitratae in Virtute, Fide ac Liberalitate CORNELII VAN DER MYLEN, *quem Avum Tua Mater habuit, quod Gelricae in Te non ſunt expertae? Laetior enim cum maxime nitere incipit Academiae Gelricae facies, cum Tuo, ſimiliumque Tibi Illuſtrium Virorum, qui Ejus tutelam geritis, ſtudio & munifica cohortatione alacrior Mercurialium Hominum Induſtria ſeſe exſerit. Hoc illud Tuum Ingenium eſt; Majorum Tuorum Virtutibus inbutum, magniſque Exemplis inflammatum. Haec illa ſunt Conſilia, quae Tibi Dii, bonae Mentis & Diſciplinarum Auctores, ab aetate ineunte religioſe, ac ſevera lege, à Te frequenta-*

ta-

tatae, inspirarunt. Hi sunt Tui Mores, quos perspecti & perlustrati politiorum Populorum Cultus formarunt. Haec est illa Prudentia, quam excellentis Judicii Tui Maturitas, & diuturnior Usus, exercitatusque in rebus maximis Animus, inpertierunt. Denique hae rarae illae, atque insuetae, in Tuo Fastigio, Virtutes; Integritas, Abstinentia, atque incredibilis, in secundissimo Fortunae cursu, Moderatio, quas generoso incoctum pectus Honesto Tibi praecipit.

Quandoquidem autem nihil habet Libera Patria, paene etiam dixerim, Fortuna, quod Ornamentis, quibus Te cumulavit, adjiciat; neque etiam Laus Tua, quo altior exsurgat: Fruere diu his Bonis Tuis, VIR MAXIME, *& Tecum iis fruatur Res Publica: Fruatur iisdem* ESSENIA TUA, *Nobilissima & sanctissima Matronarum, & Illustris Tua Domus. Fruatur sane diu Filius Tuus Unicus, ut Oris Tui, atque Formae, sic &*

Vir-

DEDICATIO.

Virtutum Tuarum viva Imago; Teque Magistro Ille, Cui Natura & recta Indoles atque Institutio voluntatem tribuit, praeclare de Patria merendi Artem discat. Ita autem frui Mihi perpetuo liceat integra Benevolentia, qua me ex eo tempore, quo in Tuam notitiam primum admisisti, semper es complexus. Dabam Arnhemiae prid. Id. Decembr. Anni CIƆIƆCCXXXIII.

PRAE-



PRAEFATIO

AEQUO LECTORI

S.

Quam hic Dissertationem vides, olim Epistola fuit, scripta ad Gerardum van Loon. Cum eo namque creberrimus mihi litterarum usus est de rebus antiquis Terrae Batavicae vicinarumque

** Regio-

Regionum. Ut autem Ille Rem Nummariam earum eruditis commentariis exposuit; ita nunc in eo est occupatus, ut Hollandorum res gestas inde a Gentis Origine persequatur. Mihi vero decretum est Monumenta Romana antiquae Bataviae finitimarumque Terrarum in conspectum producere & quae obscura in iis sunt declarare. Ac praecipue mihi curae erit, ut, quae ad antiquam Regionum illarum conditionem pertinent, inde eruam. Vides in eadem re utriusque operam versari, sed instituto ac consilio diverso; ita tamen diverso, ut alterius industria alterius ope saepe adjuvari possit. De me quidem lubens profiteor, ad haerentem me in rebus dubiis, ac potissimum iis, quae Carolo Magno posteriores, maximis tenebris involutae sunt, prompta & praeclara Lonii nostri Doctrina & Solertia saepe expeditum fuisse, quo & neminem puto peritiorem, certe non pluribus illorum temporum monumentis perspectis instructum, ad Historiam, quam instituit, tradendam

dendam accessisse. Sed ad Dissertationem nostram redeo. Vir ille praestantissimus datis ad me litteris quaesierat olim sententiam meam de nonnullis rebus vetustae Arcis Brittenburgicae, ac potissimum de Brittis sive Britannis, quos in extrema parte insulae Batavorum, sive ea parte, quam hodie Rhenolandiam appellamus, incoluisse ostendi. Respondi tum ea, quae hic de Brittenburgo Britannorumque sedibus extra insulas suas perscripta vides. Et quia illo tempore feriae nostrae otium & facultatem dabant; res illae plenius uberiusque a me sunt expositae. Non displicuit illi haec cura nostra. Immo auctor fuit, ut, quae sibi scripseram, cum omnibus communicarem. Parui equidem amicissimi viri monitis, sed ita ut nonnulla postea addiderim, & quantum fieri posset, Epistolam in formam Dissertationis converterim. Si quid ergo in ea est quod te delectat, id Lonio te debere intelligis, qui ut scribendi caussam praebuit, ita ad publicandam eam in-

pulit. Quod rem propositam egressus sum nonnunquam, saeculo huic condones rogo, forte & illud eidem condonaturus, si recentiorum scriptorum testimonia in acervos accumulassem; quo ut nihil ad speciem pulchrius, ita in hac re ad copiam nihil mihi facilius foret; tanta Hominum turba, qui Res Batavicas exposuerunt aut attigerunt. Libuit tamen animo potius in hoc, quam consuetudini obsequi. Viros principes, & quorum maxima est auctoritas, nominavi omnes, certe eos, a quibus profeci. Vulgus autem & multitudinem nil sum moratus, in qua aliena omnia, nihil proprium inveni, nisi hariolationes Orestis insomniis vaniores. Illud hoc loco monendum praeterea duxi, Brittenburgi, sive Arcis Britannicae dirutae imaginem ad paginam 2. insertam, a Brevallio me mutuatum esse, quod ea vetustas ruinas & parietinas ejus expressius & dilucidius referre videbatur, qui aliam volet, ex Junii, Guicciardini Parsii, aliorumque vulgatissimis libris repetat.

Haec

PRAEFATIO.

Haec ſunt, quae te ſcire volui; Tu ſi conatui huic noſtro aequum te praebere, & operis priſci quod habes, idoneum rebus Batavorum illuſtrandis communicare nobiſcum volueris, animum nobis addes ad maturandos ſuper illis commentarios noſtros. *Vale.*



Errores potiores Operarum Auctore absente admissi ita corrige.

Pag. 2. *Lin.* 11. In de Burgstraet *legas* *Inde die* Burgstraet.
pag. 6. *lin.* 35. dicti. Britanni. *deme distinctionem.*
pag. 9. *lin.* 16. *Creatarius leg. Cretarius.*
pag. 11. *lin.* 15. lareres *leg.* laterer.
pag. 12. *lin.* 31. πορθεῖς καὶ καταφρέγων. *Haec dele.*
pag. 13. *lin.* 32. Βρεττανίαν. ἐκπέμψας *deme punctum.*
pag. 17. *lin.* 21. quare *leg.* qua re.
pag. 18. *lin.* 22. *Gallipas leg. Gallaicas.*
pag. 19. *lin.* 11. *Pannide leg. Pannoniae.* *lin.* 29. *Ithenario leg. Itinerario.*
pag. 20. *lin.* 19. *obolo leg. obelo.*
pag. 22. *lin.* 24. hinc *leg.* huic.
pag. 23. *lin.* 27. repertisse *leg.* repetisse.
pag. 24. *lin.* 18. Santem *leg.* Santen. *lin.* 24. Arciburgio *leg.* Asciburgio.
pag. 27. *lin.* 13. indiaes *leg.* indices.
pag. 40. *lin.* 15. *Britzium leg. Britzum.*
pag. 41. *lin.* 18. extinctum *leg.* exactum.
pag. 42. *lin.* 18. Miliano *leg.* Miliario.
pag. 45. *lin.* 7. omnes *leg.* amnes. *lin.* 9. Britti Britanni *insere* sive.
pag. 47. *lin.* 20. *Trasisalania leg. Transisalania.*
pag. 50. *lin.* 9. V. *leg.* III. *lin.* 20. Zutphaniam *lege* Zutphaniensem Comitatum.
pag. 51. *lin.* 25. ostium *leg.* alveum.
pag. 60. *lin.* 2. inveniiiuse tarunt *leg.* invenisse putarunt. *& lin.* 3. cupus haecest *lege & distingue* cujus haec est. *& lin.* 33. praeferre *leg.* proferre.
pag. 63. *lin.* 18. στρατιώταις . ποιώταις *tolle distinctionem, lin.* 22. ποταλαιὸν *leg.* τοπαλαιόν.
pag. 64. *lin.* 24. ἀυτῆν *leg.* ἀυτῆς.
pag. 65. *lin. ult.* Ιερνία *leg.* Ιουερνία.
pag. 66. *lin.* 27. ὀπίθεν *leg.* ὀπισθεν.
pag. 70. *lin.* 5. de Rhenolandia *dele* de *& lege* Rhenolandiam. *lin.* 35. peius *leg.* magis.
pag. 71. *lin.* 30. πρεττανικὰς *leg.* Πρεττανικὰς *lin.* 37. Νᾶ τοι *lege* Νᾶσοι.
Pag. 80. *lin.* 20. Antonius *leg.* Antoninus.
pag. 84. *lin.* 1. σαλπιγταῖς *leg.* σαλπιγκταῖς *lin.* 2. συλλέξασθαι *leg.* συλλέξασθαι *lin. penult.* dicas *leg.* duas.
Pag. 86. *lin.* 15. dissaedit *leg.* discedit.
Pag. 90. *lin* 25. *Ceuchrius leg. Cenchrius.*
Pag. 94. *lin.* 9. errarum *leg.* terrarum.
Pag. 97. *lin.* 1. Museo *adde* Regio *item lin.* 7. *&* 10. Ceuchrium *leg.* Cenchrium *& lin.* 20. Vitruvio *leg.* Vitruvii.
pag. 106. *lin. penult. & ult. victoriae* excitavit. *leg.* excitavit, *victoriae.*
pag. 112. *lin.* 3. ἐπιλεξάμενυς *leg.* ἐπιλεξάμενος.
pag. 117. *lin.* 1. LEG. I. ME. *adde* ENEDIOR. *lin.* 19. exhibeo ut depictus est. *lege & distingue* exhibeo. ut depictus est apud me.
pag. 121. *lin.* 9. lib. v. cap. 34. *lege* lib. iv. cap. 35.
pag. 122. *lin.* 28. dico *leg.* duo.
pag. 124. *lin.* 18. Tactus *leg.* Tacitus. *lin.* 32. Britannorum *leg.* in Britannis.
pag. 125. *lin.* 19. pagos *leg.* pagi.
pag. 127. *lin.* 2. haec modo *leg.* hoc modo.
pag. 132. *lin.* 1. eos *leg.* eo. *lin.* 16. potuis *leg.* potius.
pag. 136. *lin.* 19. Ariani *leg.* Aviani.
pag. 142. *lin.* 2. eligerunt *leg.* elegerunt.
pag. 143. *lin.* 8. magnum *leg.* magnam
pag. 144. *lin.* 22. formatus *leg.* formatas
pag. 151. *lin.* 16. operare *leg.* onerare.
pag. 155. *lin.* 23. in regione Frisiorum, *adde:* aut aeque in Britannia Insula, atque in Britannia Batavica fuisse natam.
pag. 156. *lin.* 24. terra. Conjungi autem *dele distinctionem & lege* terra, conjungi *dele* autem.
pag. 157. *lin.* 23. σύφορτα *leg.* σύφορτα. *lin.* 31. Βρεταννικὴν *leg.* Βρεταννικήν. *lin.* 33. qui *leg.* quae.
pag. 167. *lin.* 13. laudarentur. *tolle hanc distinctionem.*
pag. 172. *lin.* 8. inductos *leg.* indictos.
pag. 174. *lin.* 3. arbitror *leg.* arbitrer.
pag. 175. *lin.* 15. Avieni *leg.* Aviani.
pag. 178. *lin. antepenult.* Julii *leg.* Junii.

DE



BRITTENBURGO,
MATRIBUS BRITTIS,
BRITANNICA HERBA,
BRITTIA PROCOPIO MEMORATA, BRITANNORUMQUE ANTIQUISSIMIS PER GALLIAM ET GERMANIAM SEDIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Descriptio BRITTENBURGI. *Adriani Pars Antiquitates Catvicenses laudatae & notatae. Arx illa a Romanis condita. Gerbardus Dumbar laudatus. Colinus a fide & antiquitate commendatus. Bardorum Carmina tempore Colini in Monasterio Egmondano extiterunt. An ejus aetate Taciti Historiarum Libri in fine jam mutili fuerint? forte ipse Tacitus inperfectos reliquit. Quibus nominibus Brittenburgus a viris Latine scribentibus appelletur. Verum & vernaculum nomen* HET HUIS TE BRITTEN. *Non fuit Armamentarium. Junii, Camdeni, Pighii, Scaligeri lapsus. Britanni a consuetudine inficiendi corpora dicti. Quando hi totum corpus decolorarint.* Brit, Brithyl, *truta piscis, varius dictus.* Britannia cur dic-

ta Albion. *Britanni*, *Britti & Brittones dicti. Cur Picti dicantur. Brittia Procopii. Britanni etiam* Brittanni. *Barbarorum nomina in* o *pariter &* us *terminata. Batavi*, Batti, Baeti *an &* Batavones *dicti? Composita vocis* Gaiso *vel* Gaisus. *Camdeni sententia de etymo Brittenburgi rejecta. Eruditorum virorum licentia fingendi nomina Latina. Stephanus Vinandus Pighius notatus & laudatus.* Burgus *habitaculum per limitem.* Huis *quid olim notarit.* Te *particula Lingua Belgica locum, pagum aut urbem ostendit. Palatium Neomagense* het huis te Nymegen *dictum. etiam* Burgus & Fürstenburg, In de Burgstraet.



BRITTENBURGUM Petrus Scriverius in Antiquitatum Batavicarum Tabulario sub initio, praestantissimum (dum Fata Deusque sinebant) & commemoratione memoriaque omni dignissimum monumentum appellat. Quibus & haec porro addit: Arcem Btitannicam Latini & Brittenburgum vulgo vocant. Fuit illud praesidiarium populi Romani Castellum, Rheni quondam superciliis ipsique ostio, ut videtur, inpositum; deinde hostica vi excisum, postremo maris aestu ac littoralibus arenarum cumulis adobrutum, sepulchri simile, nihil praeter nomen hodie reliquum habet. Imaginem hic damus ex Breval *Remarks on several parts of Europe.* Eadem paene de Brittenburgo ante tradiderat Nobilissimus Dousa in Hollandiae Annalibus Libro IV. pag. 164. Mox Scriverius subjungit Humfridi Lhuydi Angli, Hadriani Junii & Guilielmi Camdeni de hac Arce sententias. Plurimorum autem opiniones recenset Adrianus Pars in Antiquitatibus Catvicensibus Belgice scriptis, sed majore diligentia, quam eruditione. Teruntur hi libri omnium manibus, quanto magis cavendum est, ne dicta ab aliis repetiisse videamur. Ex Viris eruditis autem, qui Arcem hanc descripserunt, alii eam a Britannis, alii a Batavis, alii a Romanis conditam opinantur. Horum nos sequimur sententiam, quam & confirmant complures litterati lapides, annuli, signa, vasa, claves, aliaque Romanae, non Barbaricae elegantiae, opera, quae Junius in Historia Bataviae cap. X. & Scriverius in Antiquitatum Batavicarum

cartam Tabulario, omnium oculis exposuerint. Adjecit pauca Adrianus Pars, pauca etiam Nicolaus Chevalier in libro, quem Gallico sermone scriptum edidit, nominavitque *Description de la Chambre de Raretez de la ville d'Utrecht.* Nonnulla etiam nos deinceps addemus, si quid levamenti ad persequenda illustrandaque Bataviae antiquae monumenta fuerimus nacti. Nicolaus Colinus in Chronico rhythmico, quod saeculo duodecimo scriptum haud ita pridem edidit Gerhardus Dumbar Vir Amplissimus, & praeclare nuper de Daventria Patria sua meritus, Brittenburgum etiam Romanis vindicat, qui de ea ita canit pag. 250.

In zyn tyden hier te voren
Was een adel helt te boren
Her, wes name vint ix zo
Dat hi hete Brinio
Die met zine krieg gebarden
In den Kattewycker warde
Twe Romeynen Blockhusen slechte
En twie wyghen wan mit vechten
Ti man waant dat haben mit eren
BRIT en Romonburche geweren
Daer ti Barden garven waren.

Tanto autem major fides huic homini habenda, quicunque ille fuit, quanto antiquior, & fide integritateque praestantior. Nihil enim se scriptis consignare dicit, nisi quod ex certis monumentis cognoverat, proscriptis rejectisque prodigiosarum fabularum monstris, quibus ceterorum Chronicorum farcinatores nimium indulgent. Imo eo tempore vixit, quo in monasterio Egmondano exstabant prisca Bardorum carmina, quod unum apud Germanos, ut scribit Tacitus de moribus Germanorum cap. II. addo etiam apud Gallos plerosque, memoriae & Annalium genus fuit. Ita namque Colinus in loco mutilato pagina 252. sic tamen mutilato, ut illa, quam dixi, sententia perspiciatur.

En ti Barden woizen lezen
Ti nog overich haben wezen
Minen daghen binnen Hegmonde
Zolckes hab ie zo bevonden.

Quam vellem etiam Taciti Historiae pleniorem habuisset Colinus, quam nos hodie habemus, saltem in illo loco, in quo is Claudii Civilis conatus adversus Romanos narrat. In ea enim caussa desinit Colinus res gestas Civilis memorans, ubi hodie Taciti Historiae desinunt; id est, in colloquio inter Civilem & Cerealem de pace in ponte Navaliae, sive ut Tacitus scribit ad recisum pontem ejus amnis. Quae res indicio est, aut ipsum Tacitum opus hoc inperfectum reliquisse, aut Colini aetate illam partem jam interiisse, in hunc namque modum hic versificator.

zo dat te male
Op tie brugge van die nau Wale
Wurt gedainget van den peyse
Waer by sturf, en op wat weyze
Adel Greve Glaude Schevelen
Vint ix ni in geene delen.

Sed ad Brittenburgum revertor. Non movet nos nominis ratio, quo minus a Romanis excitatum opinemur, qua tamen alii inducti diversa censuerunt. Verum ab omnibus non eodem nomine dictum invenio. Brittenburgum vocat Colinus. In hanc enim sententiam lego & distinguo hos versus.

Ti man waent dat haben mit eren
BRIT- en Romon- BURCHE geweren.

Eodem nomine insignit Junius in Bataviae descriptione cap. X. qui & addit BRITDEN appellari. Johannes Gerbrandus a Leidis libro I. cap. 13. BRITTON vocat, *ibidem castrum munitissimum construxerunt, quod* BRETTON *appellaverunt.* Verum lib. V. cap. 30. CASTRUM BRITANNICUM, additque *in idiomate Teutonico* DIE BURCH TE BRITTEN. ARCEM BRITONUM nominat Cornelius Aurelius in Bataviae suae libro primo: nec non Reinerus Snoius rerum Batavicarum lib. I., scribitque a se evulsos esse inde lapides, quorum unum aedium suarum frontispicio inseruit. Literatus ille lapis an nudus fuerit, nos ignorare voluit Snoius; forte adhuc superest lapis Goudae, in ea namque urbe vixit quae patria ipsi fuit, & in ea aliquamdiu honores gessit. ARCEM BRI-

BRITANNICAM Guicciardinus in descriptione Belgii & Scriverius: TURRIM BRITANNICAM Humfredus Lhuydus in Epistola ad Ortelium, quam Ortelius vulgavit & Scriverius. Stephanus Vinandus Pighius BRITTHEIM appellat in Hercule Prodicio pagina [illegible]. Camdenus in Insulis Britannicis DOMUM BRITANNICAM, additque Hollandis HUIS TE BRITTEN dici, id quod hodiernus usus confirmat. Tametsi enim dudum una cum aedificiis terra fluctibus mersa est, nomen tamen & fama Arcis, Castri an Domus (de his autem nominibus dimicare non fert animus) manet, atque ita HUIS TE BRITTEN sermone vulgi celebratur.

Quod autem Arcem hanc Armamentarium fuisse Junius, Camdenus, Pighius, Scaliger & plerique omnes fuerunt opinati, in eo illos fefellit antiqui lapidis locus; non enim ad Brittenburgum erutus est ille lapis, qui Armamentarii memoriam servat, sed ad Romburgum, id quod primus ostendit Scriverius. Mirorque legi in Scaligerianis Puteanorum in voce *Antiquitez* inscriptum fuisse in duobus hujus Arcis lapidibus, qui Hagae Comitum extant

ARMAMENTARIVM SEVERI APVD BRITANNOS.

Nemo enim Scriptorum Batavicorum mentionem facit duorum hujusmodi lapidum aut tituli illius. Notissimus est titulus Armamentarii a plurimis traditus & illustratus, sed is nihil ad Brittenburgum, qui tamen, ut error errorem parit, sive Scaligerum, sive Puteanos fratres, male verba Scaligeri excipientes, in alium errorem inpulit. Falsum namque, quod paullo ante in iisdem Scaligerianis de eadem Arce Britannica: *C'estoit* Armamentarium Severi Imperatoris adversus Britannos, *qui se rebelloient fort contre les Romains, au lieu que les Hollandois estoient paisibles & devenus tout Romains.* Ex his, quae diximus, patet, ex BRITTIS nomen esse Arci inditum. *Brittos* autem hos non alios opinor, quam quos alii *Brittones*, alii *Britannos* vocarunt. Falluntur namque illi, qui *Brittones* & *Britannos* distinguendos putant. Dum enim Romani terminationem nominum Barbaricorum ad linguae suae usum formabant, alii hos *Britannos*, alii *Brittones* dixerunt. Verum ipsi Insulani se, & vicini populi, ut Galli, Germanique, forte & Hispani, eos *Britten* vel *Brittan* vocarunt a consuetudine inficiendi corpora, de qua Caesar Belli Gal-

lici libro V. cap. 15. *Omnes vero se Britanni* VITRO INFICIUNT, *quod caeruleum efficit colorem, atque hoc horribiliore in pugna sunt adspectu.* Plinius Naturalis Historiae libro XXII. cap. 1. toto corpore conjuges nurusque Britannorum GLASTO OBLINI scribit, *Aethiopum colorem imitantes.* Sed eo colore non perpetuo utebantur, verum in quibusdam sacris, ut ipse Plinius arguit, cetera colore vario erant; ita namque Herodianus Historiarum libro III. cap. 14. τὰ σώματα στίζονται γραφαῖς ποικίλων ζώων παντοδαπῶν εἰκόσι. *notant corpora picturis* VARII COLORIS *generisque animalium.* & Solinus cap. XXII. in fine. *Quibus per Artifices plagarum figuras, jam inde a pueris* VARIAE *animalium* EFFIGIES INCORPORANTUR, *inscriptisque visceribus hominis incremento* PIGMENTI *notae crescunt.* Adde Servium ad Virgilium Aeneidos libro IV: 146. Hoc certum ex lexico antiquae linguae Britannicae, quod Boxhornius ex Davisianis observationibus digessit, & libello suo de originibus Gallicis subjunxit *Brit* lingua Britannica, quae priscae linguae Gallicae simillima fuit, versicolorem & maculosum significare, unde & *Brithyll* in eadem lingua trutam notat, hunc autem piscem, ut Isidorus tradit Originum libro XII. cap. 6. Latini etiam a varietate coloris *varium* dixerunt. Equidem hanc Britannorum originationem ceteris omnibus antepono, quas recenset Camdenus in Britannia pag. 24. 25. & proximis. Insulam namque seu regionem, a natura & montibus *Albiona*, insulanos, a colore *Brittos*, *Brittones* & *Britannos* appellatos existimo. Inde vero *Pictos* dici Martiali Epigrammatum libro XI. 53. 1. & XIV. 99. 1. *Infectos* Propertio II. 14. 25. dudum est observatum aliis. Quia vero nonnulli exilius, alii pinguius pronunciarunt ultimam litteram in voce *Britten*, quam litteram & hodie Batavorum nonnulli obscurius efferunt loquentes, ex eo factum est, ut promiscue *Brittorum*, *Brittonum* & *Britannorum* nomen iis haeserit; quin & hanc caussam fuisse arbitror, cur Procopius errore, sed tamen excusando, inter *Brittiam* & *Britanniam* distinxerit, de quo deinceps pluribus disputabitur cap. VII. Nam ex nomine *Brit* vel *Britte* (sic enim in singulari Britannus sermone Gallico, forte & ipso Britannico & vicinorum est appellatus) a quibusdam Latinis *Britti* sunt dicti, Britanni, & inde *Brittia*. Non nos moratur littera media T quae in *Brittonibus*, *Brittis* & *Brittia* geminari solet, nam eadem in Britannia nonnunquam geminatur, ut Manutius & Dausquius in libris de Orthographia ostenderunt,

rum, atque ex Gudii inscriptionibus intelligitur: vid. pag. XCIX. 3. CXX. 2. CLXXV. 1. Graecis quoque eadem littera geminatur, tametsi Poetis Latinis fere Syllaba prima corripitur. Consueverunt hoc modo Barbarorum nomina in *o* pariter & in *us* terminare Latini, hinc *Saxo* & *Saxonus*, Anonymo Ravennati libro V. cap. 28. etiam *Saxus* nominatur, *Frisio* & *Frisius*, *Franco* & *Francus*, & quae praeterea recenset Nicolaus Heinsius ad Vellejum Paterculum libro II. cap. 105. & sic *Burgundio* & *Burgundius*. Contendit quoque Isaacus Vossius in Observationibus ad Pomponium Melam libro III. cap. 5. in fine, *Batavos*, *Battos* & *Baetos* fuisse dictos, addit praeterea *Batavones* Vir Cl. Menso Alting in notitia Germaniae Inferioris parte I. pag. 10. quam sententiam alio loco ad examen revocabimus. Nihil porro vulgatius, quam Gallorum Germanorumque nomina in o terminari, hinc *Regiso*, *Gaiso*, forte & *Lupio*, quorum monumenta in Batavia viciniſque terris inventa opportuniore loco producemus. A voce *Gaiso* dictus porro *Radagaisus*, de quo Orosius, libro VII. 7. cap. 37. Jornandes de Regnorum & temporum successione: *Radogaisum* nominat Zosimus in Historia libro V. cap. 26. Referendus huc quoque *Adalgisus* apud Eginhartum in vita Caroli Magni cap. VI. & *Arugisus* cap. X. Non autem quenquam fore puto, qui Camdeni de Insulis Britanniae secutus opinionem, a *Brittis*, quos Junius ex Batavorum lingua cespites interpretatur, Brittenburgo nomen inditum existimet, quod contra incursantes undas oppositis aggerum molibus cespite sive *Britten* munitus fuerit. Non me latent, quae de aggeribus ad vim Oceani reprimendam disputat Dousa Annalium libro VI. atque alii. Putem autem, si unquam ex cespite aggeres ejusmodi fuerunt ad Oceanum, non ad Brittenburgum magis, quam in aliis Oceani littoribus per Galliam fuisse. Quod si autem per omnem eum tractum extiterunt, quae caussa est, cur Brittenburgo potius, quam aliis ad Oceanum Castellis aut Arcibus nomen dederint? Immo vero minus ad Brittenburgum, quam in aliis Oceani littoribus aggere fuit opus ad eludendos fluctus, quod in hoc loco amplo Rheni ostio hauriebantur. Quanto autem probabilius est, *Brittos* id est *Britannos* hic olim habitasse, atque ab iis Castellum hoc nomen adeptum? Hoc certe docet verum nomen, quo accolis, ut olim, sic & hac nostra aetate appellatur HET HUIS TE BRITTEN, nam cetera nomi-

na, quae Latine scribentes usurpabant, & appellationes a nobis recensita sunt, non ex sermone vernaculo aut Belgico, sed ex suo quisque ingenio confinxit. Quae quidem fingendi licentia avorum proavorumque nostrorum saecula, Musis ceteroqui non poenitenda, ita pervasit, ut librorum auctores ab inferis hodie excitandi sint, ad vera rerum vetustarum nomina, quae ipsi commentis suis obscurarunt & corruperunt, eruenda. Quis hodie Brittenburgum designari putet a Pighio, at quanto viro! certe in distinguendis populi Romani annalibus & Fastis primo, cum legat, quae in Hercule Prodicio de Veteribus Romanorum Castris pag. 11. (quae alio in loco pag. 27. non dubitavit *Vetterheim* nominare) ad Lucensium municipium memorat, nisi ex libri margine vera nomina cognoscat? Columnum tamen illud suum *Britburg* vel *Brittenburg* versus caussa finxisse non existimo, nam & Joh. Gerb. a Leidis patria lingua eo nomine dici testatur. Quo circa existimandum inter Batavos vicinosque populos, gemino hoc nomine fuisse dictam Arcem BRITTENBURG & HET HUIS TE BRITTEN. Tradit namque Paulus Orosius Historiarum libro VII. cap. 32. habitacula per limitem constituta Burgos esse nominatos, in limite autem imperii & Rheni Brittenburgum fuisse, certum est. Ceterum vocula *te* in nostris finitimisque populis locum, pagum aut urbem significat, *Huis* vero arcem castellumve notat, sic *Het Huis te Warmond*, *Het Huis te Gennep*, sive *Het Gennepper Huis*, *Het Huis te Bentheim* aliaque innumera, atque hoc modo *Het Huis te Nymegen* fuisse dictam Arcem, quod Castrum nominat Beka atque alii, liquet ex diplomate, quo Fredericus Barbarossa Imperator *domum Neomagensem* in feudum concedit Comiti Gelriae. Descripsit hoc diploma Johannes Isacius Pontanus in Historia Gelriae libro VI. similiter vocabulum *Hus* praestantius quidpiam, quam domum vulgaremve aedes notat in Rhythmis de S. Annone, quos citat Johannes Schilterus in Glossario Teutonico. Ut adeo Neomagensi Arci idem, quod Britannicae accidisse intelligamus, utrique enim & *Domus* & *Burgi* nomen habuit. Illa namque in antiquis monumentis *Principis Burgus* nostra lingua *Furstenburg* dicitur, unde & hodie plateae nomen Neomagi, quae in Arcem hanc ducit, *de Burgstraat* [illegible]

[illegible]

CAPUT II.

Britten *nomen loci ad medium Rheni ostium. Heda emendatus & expositus. Turris* Callae *prope Brittenburgum, ibidem aedificia multa in modum vici. Rhenolandia videtur Britannia dicta. Egbertus* de Britannia. *Christophorus Browerus laudatur. Brittenburgus ab accolis Britannis nomen accepit. Sententia Junii de Arcis appellatione refutatur. Navigatio ex Britannia in Rhenum quomodo instituta. Nautae ex ea insula, Helii, non medium ostium Rheni subibant. Strabonis sententia exposita. Lenior Vahalis, quam Rheni fluxus. Camdenus & Altingius refelluntur. Zosimus illustratus; Interpres ejus notatus. Germania Cisrhenana Galliae Belgicae portio. Locus instructae classis a Claudio Civile. Lapis vetustus expositus. Rheni occidentalis aquae Zelandiam irrigarunt. Nehalennia Helii Nympha.* Negotiator Cretarius, *id est argillae vel Margae. Creta Galli foecundabant agros. Plinii scriptura vulgata servata. Camdeni, Lhuydi & aliorum opiniones rejectae. Batavi tempore Antonini Caracallae praesidia tenuerunt in Arce Britannica, Batavi dicti Baeti. Inscriptiones laterum & tegularum illustratae.* VEX. BRIT. *id est Vexillatio Brittonum. Castra Legionum,* MENERVIAE &. XII. XXX. X. *Chevalierii imperitia notata.* Ʌ *nota* L *significat. Varie erratum circa* LEG. XXX. *an ulla Legio* XXXV. *ex sententia Gruteri, Fabretti, Gudii in monumentis antiquis?* LEG. V. & XV. *Vexillatio Britannorum in Britannia. Lacuna monumenti antiqui expleta. Tegulae* VEX. BRIT. *per multas urbes & regiones dispersae. Luydi & Schriekii sententiae explosae.*

EX iis, quae diximus de nomine Arcis Britannicae apparet, necesse esse, ut urbs, pagus, vicus aut locus duntaxat aliquis,

id est regio agerve fuerit nomine *Brittan*, in ea littoris ora, qua domus illa sive Burgus stetit. Et sane plures suspiciones concurrunt, fuisse illo nomine hic vicum populumve. Primo eas confirmat Wilhelmus Heda in Historia Episcoporum Ultrajectensium. Is namque in vita Hungeri Episcopi XI, illam arcem describens haec prodit. *Ex quo castro nonnulli etiam Romanorum, sicuti Carausius, Piraticam exercuisse creduntur. Eo anno dum haec scriberemus, abductis vento colliculis arenarum, quae instar undarum nonnunquam agitantur, visae sunt* ALTERIUS MUNICIPII *ingentes ruinae Romanae vetustatis, haud longe a vico Cattorum in ipso Oceano, ubi nummi argentei cum inscriptione Severi, & Antonini inventi sunt, & nobis dono missi cum plerisque aliis.* Hac enim verborum trajectione adjuvanda est Hedae sententia, quae verba si eo ordine legantur, quo nunc edita conspiciuntur, *ab ipso Oceano in vico Cattorum*, aut nihil aut inepte sonant, quod & Buchelius vidit, & miror, hic eum de turbato ordine non cogitasse, cum in saepe aliis eum animadvertit correxitque, unum exemplum vide in vita Othonis secundi Episcopi XXXIII, pag. 200. Mihi quoque olim hunc Hedae librum legenti plura oblata recordor. Hoc certum minus emendate, imo plane negligenter descriptum, primum in lucem eum prodiisse; incertum, ipsius Auctoris, amanuensis an typographi incuria. Illud scio, plurimorum exemplarium ope, quae passim citantur ab accuratissimo Buchelio, mendas omnes detegi atque eximi non potuisse. De Arce autem Britannica, quam & hic, & paullo ante Castrum nominat, regioneque illius, hic loqui Hedam, inde etiam intelligimus, quod addit, eo anno, cum haec scriberet, abductos vento colliculos arenarum. Annus enim ille fuit CIƆIƆXX. siquidem proximo anno CIƆIƆXXI. librum eum editum ex dedicatione accipimus. Vigesimus autem ille annus est, quem & Ludovicus Guicciardinus in Belgii Descriptione, & Junius in Bataviae Historia insignem memorant Arcis Britannicae conspectu fuisse.

Docet itaque Heda, apparuisse indicia municipii, sive vici alicujus prope Catvicum in regione Brittenburgica. Hunc autem vicum fuisse puto, in quo, sive ad quem, Arx Brittenburgica fuit exstructa; & forte ad eundem vicum duxit murus ille, quem anno CIƆIƆLII. Guicciardinus detectum scribit, parte ea, quae ad littus tendebat, obruta arenarum cumulis. Quemadmodum ergo *Het Huis*, sive mansio *de Burg*, sive *Het Hof*, non alia ratione vulgari nostro sermone,

ne, *de Nymegen* dicitur, quam quod ea ad Neomagum vel in ea urbe Arx est, eodem modo *Het Huis* fuit dicta *te Britten*, quia *ad Britten* vel *in Britten* pago, vicove, aut regione, fuit condita. Ad vicum eundem pertinuisse puto turris ruinas, quam *Callae turrim*, Belgice *de toren van Calla*, piscatores nominant, item viam lapidibus stratam. Harum meminerunt Joachimus Oudaan in libro, patrio sermone scripto de Imperio Romano pag. 26. Cuncta haec arguunt, non solam in Rheni ostio Arcem Britannicam stetisse, sed & aedificia complura in modum vici. Arcis autem, quam vici illius fama illustrior apud posteros mansit, quod disjectis ab Oceano, obrutisque villis atque aedificiis paganorum, utpote humilibus levique materia extructis, pro more, cum priscorum omnium, tum praecipue Germanorum Barbarorumque reliquorum, diutissime Arx haec caput undis extulit, memoriamque sui late per Oceanum navigantium animis infixit: quia & deinceps, cum jam undis obruta lateret (ut huic orae paullatim Oceanus gravior altiorque incubat) illius memoriam identidem retium aut navium damnum piscatoribus & nautis refficuit. Ea autem saxorum parietumque mole condita fuit a Romanis haec Arx, ut tanto temporis intervallo adversus Oceani fluctus, si non incolumis, certe non plane diruta steterit.

Verum & alia porro suspicio est, regionem ad hanc Arcem & forte omnem eum tractum, quem nunc Rhenolandiam vocant, Britanniam olim fuisse dictam. Hanc autem suspicionem tu nuper injecisti mihi, ERUDITISSIME LONI, quum scite admodum in tua ad me Epistola docebas, Egbertum Archiepiscopum Trevirensem, *Egbertum de Britannia* nominari in gestis Trevirensium Archiepiscoporum cap. VIII. quum constet, filium eum fuisse Theodorici secundi Hollandiae Comitis, quem praefuisse provinciis regionibus ad Brittenburgum sitis. Hanc quoque Britanniam Batavicam (liceat ita vocare) a Colino designari existimas, quum scribit, Egbertum hunc ex Hildegarde, quae Uxor fuit Theodorici Comitis, natum fuisse in Britannia

Egbert wen zoene fier
Die Aertsbiscoppe van Trier
In Bretangen van ir geboren.

Quin addis ex eadem Britannia videri quoque Liossinum natum, qui ab Egberto Mediolacensi Abbatiae, submoto Hezzele, est praefectus,

fectus, quod & Christophorus Browerus, haud postremum Arnhemiae decus, in qua urbe haec scribo, sensisse videtur, dum in Annalibus Trevirensibus Leoffinum *Britannum* interpretatur Hollandum. Quanto autem verisimilior est conjectura *Het Huis te Britten* ab ipsis incolis accolisve Britannis ex usu locutionis vernaculae dictam censeri, quam a populis Oceano totoque penitus orbe, ut poeta canit, inde divisis, Britannis dico, insulam suam incolentibus; quae sententia fuit Junii in Bataviae Historia cap. X. Nam quod navium Britannicarum & negotiatorum, frumentum ad praesidia Romana deportantium, stationem fuisse arbitratur ad hanc Arcem, ad quam & propterea nonnulli vectigal pensum fuisse scribunt, id mihi necdum persuasum est; a Romanis enim non a Britannis habitata fuit Arx haec, ut deinceps demonstrabimus. Imo opiner potius ruptis illis Drusi molibus, factaque a Corbulone fossa (de quibus Tacitus Historiarum libro V. cap. 19. Annalium II. cap. 20. *Inter Mosam Rhenumque, trium & viginti millium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani vetarentur*) nautas ex Britannia venientes atque etiam a Gallia, non medio ostio, ad quod Brittenburgica Arx est, Rhenum subiisse, sed illo, quod Helium Plinius nominat & ripam Gallicam radit. Sunt autem caussae plures & graves ita opinandi: Primo quia hoc ostium Britannorum Insulae vicinius est, quare & hodie ab eo aut prope illud Insulam petunt Batavi. Accedit quod Strabo narrat libro IV. pag. 199. ab Rheni ostio non recto cursu in Britanniam fuisse trajectum, sed lecto littore Gallico usque ad Morinorum portum; inde demum mutata velificatione in Britanniam enavigatum. Hanc enim mentem fuisse puto, cum ita scribit. Τέτταρα δ' ἐςὶ διάρματα οἷς χρῶνται συνήθως ἐπὶ τὴν νῆσον ἐκ τῆς ἠπείρου, τὰ ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τῶν ποταμῶν τοῦ τε Ῥήνου, καὶ τοῦ Σηκοάνα καὶ τοῦ Λείγηρος, καὶ τοῦ Γαρούνα. Τοῖς δ' ἀπὸ τῶν περὶ τὸν Ῥῆνον τόπων ἀναγομένοις, οὐκ ἀπ' αὐτῶν τῶν ἐκβολῶν ὁ πλοῦς ἐςὶν, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν ὁμορούντων τοῖς Μεναπίοις Μορινῶν; Παρ' οἷς ἐςὶ καὶ τὸ Ἴτιον, ᾧ ἐχρήσατο ναυςάθμῳ Καῖσαρ ὁ Θεὸς, διαίρων εἰς τὴν νῆσον [illegible]. *Quatuor sunt usitati e continente in Insulam trajectus, nimirum ab ostiis fluminum Rheni, Sequanae, Ligeris & Garumnae. Qui a Rheni partibus trajiciunt, ii non ex ipso trajiciunt ostio, sed a Morinis Menapiorum conterminis, apud quos est etiam Itium, quo navali usus est Divus Caesar in eam transmittens Insulam.* Dubitandum autem non est, quin similiter illi, qui ex Britannia Rhenum Germaniamque cogitabant, versus Morinorum portum, qui proxime om-

omnium aberat, primo instituerint cursum, mox secundum oram Gallicam Rhenum petierint. Maluerunt autem hi primum, quod objiciebatur, Rheni ostium ingredi, atque inde tuto, interque amicos, flumine navigare, quam per incerta Oceani ad longinquius ostium deferri, cujus ripam Barbari atque infestissimi Romano nomini hostes nonnunquam insidebant. Vahalis autem & Mosa, imo & Scaldis amnes, qui primo illo Rheni ostio effundebantur, inter Gallos dudum domitos, & Batavorum, amicorum & fratrum Populi Romani, fines, tutissimam navigationem subeuntibus præstabant. Contra vero alveus ille, qui servato Rheni nomine ad Brittenburgum Oceano miscetur, alteram ripam plerumque hostilem & pestiferam Romanorum & provincialium navibus ostendebat. Praeterea adverso amne facilius Vahalis, quam Rhenus navigabatur ob leniorem illius fluxum, de quo Tacitus Annalium libro II. cap. 6. *Nam Rhenus uno alveo continuus ac modicus, insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur: servatque nomen & violentiam cursus, qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verso cognomento Vahalem accolae dicunt.* Credo etiam falli Camdenum in Insulis Britanniae, & Altingium in Notitia Germaniae inferioris parte I. in voce Ostium Rheni, qui medio Rheni ostio ad Brittenburgum annonam ex Britannia legionibus per Germaniam subvectam sunt opinati. Hoc ex Zosimo discimus, paratam instructamque esse eam classem, quam Julianus in Britanniam annonae caussa misit, non ad Brittenburgum. Locum describit Zosimus ita Historiae novae libro III. cap. 5. ut, qui rem rite expendat, dubitare non possit, quin Vahalis ac Mosae ostium, quod Helium nominat Plinius Naturalis Historiae libro IV. cap. 15. significetur. τοῦ Ῥήνου, inquit, πρὸς ταῖς ἐσχατιαῖς τῆς Γερμανίας (ὅπερ ἐστὶν ἔθνος Γαλατικόν) εἰς τὸ Ἀτλαντικὸν πέλαγος ἐκδιδόντος, οὗ τῆς ἠϊόνος ἡ Βρεττανικὴ νῆσος ἐννακοσίοις σταδίοις διέστηκεν, ἐκ τῶν περὶ τὸν ποταμὸν ὑλῶν ξύλα συναγαγὼν, ὀκτακόσια κατεσκεύασε πλοῖα, μείζονα λέμβων. ταῦτά τε εἰς τὴν Βρεττανίαν ἐκπέμψας κομίζεσθαι σῖτον ἐποίει. *Ad extremos limites Germaniae, ubi Gallicae cujusdam nationis sedes sunt* (ita vulgo verti videas ὅπερ ἐστὶν ἔθνος Γαλατικόν, quod si vero me audis, leges ὑπερ ἐστὶν ἔθνος Γαλατικὸν, *ubi tamen Gallorum natio*) *Rhenus in Atlanticum mare semet exonerat, ab eo littore nongentis insula Britannica stadiis distat. Itaque collectis signis ex iis silvis, quae silvae flumini adjacent; octingentas naves lembis majores struxit;* his

bis in Britanniam missis frumentum adferri curat: Frustra sunt, qui Germaniam hic Trans Rhenanam accipiunt, eam namque Germaniam tradit, in qua ἔθνος γαλατικὸν *Gallorum natio erat*; quod plane ab hac regione abhorret. Unice autem convenit Germaniae Cisrhenanae, quae Galliae Belgicae portio olim fuit, quod noverint illi, qui rerum imperiique Romani imperiti non sunt. Non potuit autem Zosimus magis perspicue Helium sive Occidentale Rheni ostium describere, quod in ora Germaniae Inferioris est, atque illa ejus parte, qua Oceanum tangit. A quo autem Rheni ostio solvit hic navium commeatus in Brittanniam, eodem etiam ex ea insula, Germaniae, utriusque castella petitura, rediisse videtur. Ad idem ostium dudum ante classem suam Claudius Civilis instruxerat, &c, quod maxime huc pertinet, eo in loco insidias fecit commeatibus ex Gallia adventantibus, Rhenumque eo ostio subituris. Tacitus Historiarum libro V. cap. 23. *Civilem cupido incessit navalem aciem ostentandi. Complet quod biremium, quaeque simplici ordine agebantur. Adjecta ingens Lintrium vis. Tricenis quadragenisque Armamenta Liburnicis solita, & simul captae Lintres; sagulis versicoloribus, haud indecore, pro velis juvabantur. Spatium velut aequoris electum, quo Mosae fluminis amnem Rhenus Oceano affundit. Caussa instruendae classis, super insitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Gallia adventantes interciperent.*

Ad extremum appulsum navium Britannicarum ad hoc Rheni seu Vahalis Mosaeve ostium quodammodo probat lapis Deae Nehaleniae consecratus hoc titulo

DEAE NEHALENNIAE
OB MERCES RECTE CONSER
VATAS SECVND SILVANVS
NEGOTTOR CRETARIVS
BRITANNICIANVS
V S L M.

Lapis namque in Zelandia inventus est, quam regionem sparsis per plura capita sub exitu in Oceanum aquis Occidentalis Rheni alveus olim irrigabat, ut & nunc nonnulla loca ibi inundat: Britannicianus autem hic negotiator sive ingressurus Helium, Helii nymphae ac praesidi ob merces salvas votum fecit, solvitque. Insigniter autem

tem

tem, illi labuntur, qui cretam in hoc lapide eam interpretantur, quam adhuc nostro sermone cretam vulgo appellamus; sed talis haec creta fuit, qua Britanni & Galli agros foecundabant; a quo more etiam nunc non abhorrent in his regionibus rustici. De ea ita Varro, de Re Rustica libro I. cap. 7. *In Gallia Transalpina intus ad Rhenum cum exercitum ducerem, aliquot regiones accessi, ubi nec vitis, nec olea, nec poma nascerentur, ubi agros stercorarent candida fossicia* CRETA. Argillam etiam Latini dixerunt, vide Palladium de Re Rustica libro I. titulo 34. Britanni & Galli *margam* nominarunt, Plinius Naturali Historia libro XVII. cap. 6. *Alia est ratio, quam Britannia & Gallia invenere alendi eam ipsa: quod genus vocant* MARGAM, in quibus verbis nihil est mutandum. *Margae* vox necdum in his terris plane in desuetudinem abiit. Verum alia, quae ad hoc monumentum & negotiationem cretariam pertinent, in aliud tempus rejicimus.

Praetermitto Camdeni, Lhuydi, aliorumque opiniones de nomine Arcis Britannicae. Nam quod ille scribit Batavos hanc suam Arcem consecrasse Britanniae oppositae, nulli, credo, probabit. Hic autem quae de Britannis praesidii caussa Arci impositis ab Antonino memorat, refutantur hoc lapide invento in illa arce.

IMP
CAES
ANTO
AVG
COH
BAET
ORV
PE

Titulus namque hic ostendit tempore Antonini, quem Caracallam fuisse reor, cohortem Baetorum praefuisse huic Arci. Solebant autem singulae cohortes praesidia agere per castella ad Rhenum, quare crebro castra cohortium in rebus per Germaniam utramque gestis memorantur a Tacito. Baetos autem in illa inscriptione Batavos interpretor. Nemo vero objiciat mihi ex Nicolao Chevalier in *Description de la Chambre des Raretez de la Ville d'Utrecht*, tegulas & lateres ad Brittenburgum inventos his notis VEX. BR†. Tabula

bula X. 11. 12. quas tamen notas quia non intellexit, inepte satis exhibet, VER enim in plerisque legit.

Nemo autem, inquam, ex his argumentetur, Vexillationem Britannorum praesidii caussa castellum hoc tenuisse aliquando. Opera namque illa fictilia nequaquam existimanda semper eo in loco facta, ubi inventa, sed saepe ex locis remotioribus asportata sunt. Fuerunt figlinae complures per Germaniam utramque, in quibus legiones praesidiariae opera faciebant. Ita ad Brittenburgum fictilia ejusmodi opera reperta, quae legionem I. Meneviam testantur; haec ad Bonnam castra habuit: legionem XII. quae ad Antunnacum tetendit: legionem XXX., ad Castra vetera. Sunt & opera legionis VIII. AVG. (perperam hoc Chevalier tabula X. n. 27. in IVG. mutat.) item legionis X. Imo & LEG. XXV. Si huic homini credimus Tabula XI. n. 40. Sed geminum errorem nota ex Junio in Bataviae Historia cap. X. Scriverio in Tabulario Antiquitatum Batavicarum pag. 186. & Grutero pag. DXV. n. 19. qui eundem lapidem ob oculos posuerunt, sed non inscriptum ita, ut iste eum prodidit REG. XXV. Verum ꓘ E G. XXX. fraudi fuit homini litterarum imperito nota illa ꓘ, quae frequens est in monumentis vetustis. Sed quem non obstupefacit LEG. XXXXXV. & LXXXXXVI. vide Tabulam VII. n. 8. & 9. quam belle autem de his Auctor in indice *de Choses rares & curieuses!* Verum mitto hominis ineptias & imposturam. Mirum autem quantas nobis tenebras etiam alii offuderint in tradendis iis, quae ad hanc legionem XXX. pertinent, quae inde a Principatu Trajani usque ad exitium imperii Romani, in Germania inferiore hyberna habuit. Non dico tenebras, quas tenebriones istiusmodi offuderunt, sed etiam a quibus non satis caverunt summi in re antiquaria viri. Vellem etiam Fabrettus, Gruterus, Gudius Auctoresque indicum in horum Thesauris probarent suam illam Legionem XXXV. ex aliis, quam quae produxerunt, saxis, operibusque. Sed haec cura nos alias occupatos tenebit. Ipse duas tegulas habeo, Clivia mihi a doctissimo Hagenbuchioneo dono missas hac inscriptione

LEG. V.
MARC.

&

LEG. XV.

Alia-

Aliarum legionum imbrices ad Castra vetera effossas vidit, meminitque in Hercule Prodicio Pighius pag. 29. 30. & seq. Castra earum legionum dein investigabimus, nunc ad Brittenburgum & coctos lapides, Vexillationem Brittonum vel Britannorum loquentes me refero.

Quandoquidem autem ex aliis locis ejusmodi fictilia opera advecta constat, quid impedit, quo minus credamus nonnulla ex vicina Britannia ad Brittenburgum esse asportata: Non abnuit hoc saxum in Britannorum insula erutum ad vallum Severi, vide Sponii Miscellanea eruditae antiquitatis pag. 105.

MATRIBVS
MILITES
VEXIL. IO
LEG. XXVI
BRITTON
V. S. L. P. M.

Versum tertium ita Expleo VEXILlatIOnis. Sic Vexillationem exercitus Germanici in imbricibus legit Neomagi repertis Johannes Smetius in antiquitatibus Neomagensibus pag. 88. & 99. meminit quoque ejusdem urbis antiquas tegulas his litteris VEX. BRIT. ex quibus apparet, eas non proprias fuisse Brittenburgo, sed divenditas per has oras.

Vexillatio haec Brittonum me aequo diutius tenuit, & paene oblivionem induxit alterius originationis Arcis Britannicae, quam idem Luydus dedit, originationum enim largus est, illam autem inde accepit, quod Batavi ex ea arce periculum Britannorum piratarum defenderunt, sed dudum me taedium tenet, imo pridem etiam refellit Philippus Cluverius de tribus Rheni alveis cap. XIV. Legat hanc, qui volet, aut in epistola ejus ad Ortelium in Theatro orbis, aut apud Scriverium, (qui eam Batavicarum Antiquitatum Tabulario praefixit), Juniumve in Bataviae Historia cap. X. Quae vero Schriekius in originibus Celticis de *Berigtenburg*, alii de *Fridtenburg*, alii de *Buetenburg* fabulantur, non eae intelligentium hominum opiniones & sententiae, sed delirantium insomnia sunt censenda, quorum meminisse piget.

CAPUT III.

Saxa antiqua illustrata. Matres Brittae. *Papenbroekii & Emtinckii Villa Vetsena. Castra vetera ubi fuerint; Cellinus cur ea castra* Furstenberg *appellaverit Praetorium Vari. Inscriptio leviter tentata. Legio* XXX. *Castra habuit ad Vetera. Castra vetera, Castra Ulpia, Colonia Trajana an diversa loca? Monumenta, quae supersunt hodie in insula Batavorum, intelligi non possunt, nisi cui Castrorum omnium per Germaniam Cisrhenanam ratio perspecta sit. Caninefates accensebantur Germaniae inferioris provinciae. Lapis obscurissimus ad Voorburgum inventus, contra sententiam Scaligeri & Scriverii, illustratus. Illustris ab Hekeren encomium. Ejus lapis expositus. Litterae* C. V. T. *Coloniam Ulpiam Trajanam significant. Civis Trajanensis. Teschenmacher notatus. Anonymus Ravennas tentatus. Ammiani Marcellini scriptum vetus defensum & expositum. Obiter quid notet. Romani locorum Deos, ad quae perveniebant, propitiabant. Galli & Germani Deas locorum praesides celebrant, easque* Matres, Matronas & Mairas *nominant. Keyslerus laudatur. Matres illae à Gente, aut ragione cognominantur.* Matres Suevae, Gallicae, Vediantiae, Frisavae. *Male locus monumentorum inventorum omittitur a Viris doctis. Sedes Frisiabonum ubi? Plinius defenditur a vi Cluverii atque Altingii.* Frisiabones, Frisebones, Frisecones, Frisavi *ejusdem Gentis nomina. Lapis vetustus expositus. Inter vocales V. saepe eliditur, ut* Faor *pro* Favor. Matronae Vacallinehae, *pagus Vachlendorf. Saxum vetus tentatum leviter.* Rumanehae, *monumentum*

tum antiquum ineditum exponitur. Quadruburgenses Deae. Qualburg *prope Cliviam olim* Quadriburgus *dictus.* Castra Herculis. *Altingii sententia reprobata. Neomagum Gelriae caput. Nummi ad Qualburgum inventi. Quando hoc oppidum emersit. Teschenmacherus & Altingius refutati. Lapis a correctione Reinesii defensus. S. Geari. Vicani Bibienses qui.* Biberum *ad S. Gearum. Oppida & Castra quot* Quadriburgi *nomine?* Deae Quadrivlae. *Monumento vetusto lux affunditur.* Valeria Provincia *a Diocletiani filia dicta. Quadriburgum Pannoniae videtur esse* Kerlburg *Austriae. Isis a Germanis Dea culta, ac potissimum ab iis, qui ad Istrum habitarunt. Colonia* Sarmizaegethusa *ubi?* Isis Augusta. *Iterum lapis antiquus expositus.* Dea Hludana. *Cuperi magna merita, sed eum oculi nonnunquam fefellerunt in describendis monumentis.* Luddingen *vicus. Quae Matres extra locum suum cultae.* Matronae Ausaniae. *Saxum explicatur. Tacitus tentatus.* Tausana Dea. T *in multis vocibus antiquis articuli vicè fungitur.* Ame, Amasis, Tamesis *fluviorum nomina.* Thrascypolis, Rascipolis. Caledones & Dicaledones. *Oceanus* Deucalionius. Orcades, Dorcades. Belenus *Deus Noricorum cur* Tibilenus *dictus?* Nieper, Niester, Dnieper Dniester. Y & Ty *fluvius ad Amstelodamum.* 'T Utrecht *in antiquis Diplomatibus* Tutrecht. Fanae *Deae.* Leve fane, *inde* Levaefanum *mansio. Anonymus Ravennas emendatus. Cuperi medicina, Itinerario Antonini facta, damnatur.* Ausava, *mansio.* V & B *permutantur.* Tanfana Dea *an in lapide Ligorii. Reinesius, Cuperus Keyslerus notati. Monumento antiquo lux. Cuperus, Keyslerus iterum, & Sponius notati. Matres an in Italia*

cultae? Mater villae Fagnae. Matres Sulevae, *id est Sylveae seu Sylvestres. Lapis Neomagensis expositus.* Lutatiae Suevae. *item lapis Bergendalensis.* Matres Treverae. *Keyslerus reprehensus. Non omnia monumenta Mauritii Principis Bergendalensia, inventa in Clivensi Ducatu. Principis illius laudes. Bergendalense Sacrarium.* Herculis Saxani *monumentum ubi inventum? Treverorum sedes amplissimae. Ciceroni cur Treviri* Capitales *dicti?* Matres Augustae, *id est Lugdunenses. Paradini ridicula sententia exploditur. A Choriero, Cupero, Keyslero & Sponio disceditur. Lugdunum ad Rhodanum* Augusta *dicta, male hoc negatum olim Sponio. Saxum antiquum illustratum & Reinesii vis repressa.* Matres Brittae *a loco aut populo* Britten *dictae.* Birten *vel* Berten *vicus ad oppidum Santen, a nonnullis* Bertheim & Britheim *dictus, id est Brittonum sedes. Britanni ab Insulanis suis aliisque etiam* Britti & Berti *dicuntur*, Breton & Berton, *Witichindus* Brettos *nominat.* Brittos *Notitia Imperii, quae ab obelo Panzirolli defenditur; a Batavis nonnunquam* Britten *appellantur! Cur* Brittiam *Procopius dixerit? Pighii sententia rejicitur.* Bretta *Patria Philippi Melanchthonis.*

OStendimus Brittenburgum a Brittis vel Britannis nomen accepisse, illosque ad medium Rheni ostium habitasse. Hinc autem sententiae nostrae pondus accedet, si docuero, Britannos per ea tempora, quibus ad illud Rheni ostium consederunt, id est ante Anglorum Saxonumque in Britannia dominationem, etiam alia Galliae Germaniaeque loca occupasse. Hoc autem ut doceamus, dicemus primum de iis Britannis, qui supra Rheni ostia, supraque Batavorum insulam, ad illum tamen amnem egerunt. Initium ergo facimus a Matribus Brittis, quarum mentio in duobus lapidibus. Alterum produxit Illustris Gisbertus Cuperus in Inscriptionibus & Marmori-

moribus antiquis expositis & illustratis, quem libellum adnexuit Apotheosi Homeri, in illo autem pag. 267. hunc titulum vides.

MATRIBVS
BRITTIS
L. VAERIVS
MIL. LEG. XXX.
V. V.
V. S. L. M.

Inspexisse hunc lapidem quoque videtur Johannes Smetius, vide ejus Antiquitates Neomagenses pag. 92. ex quibus quoque eas meminit Keysler in Antiquit. Septentrional. pag. 446. sed eorum nullus originem Brittarum, aut caussam appellationis tradidit. Alterum Cl. Orvillio, litterarum rerumque antiquarum peritissimo, mihique describendum dederunt Gerhardus à Papenbroek, & Simo Emtinck, Viri honorum amplitudine litterarumque nostrarum studio, conspicui, quorum Villam Velsenam una cum plurimis aliis venerandae antiquitatis reliquiis exornat.

M. BRITTIS MAX..
ACISLANDAC...
M. LXXXVV.....
CNPRAE PVR..

Multae fateor litterae, temporis longinquitate excesae erant in hoc, ut nunc est, monumento, sed versus primus & tertius, ita ut nos dedimus, in oculos incurrebant, reliqua ex schedis Amplissimi Papenbroekii descripsimus, deprompta olim ex lapide, cum minus vitiatus erat. Illud praeterea ex iisdem schedis cognovi, erutum fuisse hunc lapidem ad Castra Vetera. locus is est clade olim Claudii Civilis Batavi, quum antiquam patriae libertatem armis adsereret, insignis. de quo Tacitus Historiarum libro V. cap. 4. hodie Santen dicunt, quod oppidum est in Ducatu Clivensi infra Vesaliam. Corlinus locum pugnae *Furstenberg* nominat, quod monasterium est illi oppido vicinum, Monachus autem a monasterio, ut credo, sibi notiore, quam ab oppido designare eum voluit. Pighius in Hercule Prodicio pag. 26. ita etiam in Chorographis Clivensium Tabulis

 appel-

appellatum testatur, existimatque Praetorium in eo monte, ubi nunc monasterium, fuisse P. Quinctilii Vari, qui in Germania Transrhenana tres legiones perdidit. Quanquam autem Cuperus non addit, quo in loco inventus sit lapis, qui *Matres Brittas* loquitur, dubitandum tamen non est, quin haud longe ab iisdem Castris olim a L. Valerio (*Vaerius* edidit Cuperus; sed is aut scriptoris aut typographi error est, tametsi non ignoro, litteras duas pluresve in unam contrahi solere nonnunquam) milite legionis trigesimae Ulpiae Victricis fuerit positus. Imo tametsi & schedae Papenbroekianae oppidum hoc non nominatim testarentur, ab eadem tamen legione id animadverti posset, diutissime namque, ut supra docui, legio haec Rheni limitem in illis Castris est tuita. Inde monumenta paene omnia Romana, quorum feracissima est illic terra, legione illa notata reperimus. Tu vide ea, quae Pighius in Hercule suo protulit, quaeque praeterea habet Altingius in notitia Germaniae inferioris parte I. voce CASTRA ULPIA. Denique quae Mauritius Nassovius in sua Bergendala Agri Clivensis, conspicienda exhibuit, atque etiam nunc in ea visuntur. Memorantur autem a scriptoribus & in monumentis vetustis per has terras *Castra Vetera*, *Castra Ulpia*, *Colonia Trajana*. In quibus constituendis vehementer laboratur a Viris superioris saeculi eruditissimis. Visus est sibi Hieronymus Surita antiquum illud Antonini, ut appellatur, itinerarium expediisse, quem vide ad pag. 55. & 83. Plura vero disputavit Pighius in Hercule Prodicio pag. 24. nec pauciora hisce reposuit Wernherus Teschenmacher in Annalibus Cliviae parte I. pag. 24. 25. Non etiam defuit partibus suis Altingius dicto loco, aut Cluverius & Cellarius, Geographorum Principes. Hi quid consecuti sint, viderit Cl. Wesselingius Professor Franequeranus, qui cum maxime in eo est, ut novam editionem illius Itinerarii paret. Nos quoque opportuniore loco de eo videbimus. Hadrianus Valesius quidem in notitia Galliarum pag. 150. affirmare non dubitat, tria illa, quae dixi, Coloniam Trajanam, Castra Ulpia & Tricesimam, unius ejusdemque loci nomina esse. Rerum autem Batavicarum scriptores, tanquam aliena a sese, intacta haec praeterierunt, quae caussa est, cur nonnulla inde explicanda obscurissima sibi experti fuerint. Nemo enim Veteris Bataviae monumenta intelligere potest, nisi Castrorum, legionum, locorumque omnium antiquae Germaniae rationem cognitam habeat. Manifesta hujus rei caussa est. Unius namque Provin-

cíae

circa terras illae omnes fuerint, quae Rheno universo, certe inde ab Agrippinensi Colonia usque ad Oceanum, praetexebantur; si, non dicam Batavorum insulam omnem, sed solas Batavorum sedes in ea exceperis. Caninefates namque, quae in extrema insulae parte habitarunt, Provinciae Germaniae inferioris accensebantur. Frequentissima etiam rerum omnium per haec loca fuerunt commercia, Civiumque ac Provincialium inter se negotia, Cohortium quoque & aliarum castra.

Obscurissimus visus est lapis ille, ad Voorburgum prope Hagam, inventus, Scaligero & Scriverio, vide hujus Tabularium pag. 212.

DIANAE
IVNIANIVS
AMABILIS
IIIIII VIR
AVG. C. V. T. EX
IVSSV. IPSIVS
L. M

Mihi vero dubium non est, quin hoc modo sit exponendus *Sevir Augustalis Coloniae Ulpiae Trajanae*. Huic adjungo alium lapidem, quem superiore anno, Zutphaniae cum essem, mihi describendum dedit Vir Illustrissimus ab Hekeren. neque hujus tantum lapidis ceterorumque copiam mihi fecit, sed Thesaurum insignem nummorum, rerumque vetustissimarum, reclusit tractandumque dedit, mira prorsus humanitate, quae cum antiquissima generis nobilitate amplissimisque virtutis ornamentis certat. Titulus hic est, quem alibi me non memini reperisse.

SEX. SECVND
PAPIRIA FELICI
IIIIII AVGVSTALI
CVTTPIVSS†HF

Quem ita expono, *Sexto Secundio* vel *Secundinio Papiria Tribu Felici Seviro Augustali Coloniae Ulpiae Trajanae, titulum* vel *testa-*

mento

mento poni jussit, Heres fecit. Lapis est ex eorum genere, quo omnes vetusti & litterati ad Rhenum, ut dubium non sit, ab altera Rheni ripa Zutphaniam transvectum, unde etiam plerosque omnes lapides, qui ibi conspiciuntur, praeter marmora, eo deportatos constat. Hujus Coloniae Civis fuit M. Vettius Saturninus, qui civis Trajanensis dicitur in saxo, quod hodie, sed admodum corruptum, extat in agro Clivensi, integrum autem exhibet Amplissimus olim vir Gisbertus Cuperus in monumentis antiquis, quae Harpocrati subjunxit pag. 226.

DIS MANIBVS
M. VETTI. SATVR
NINI. VET. LEG
XXII. P. P. F. CIVI
TRAIANENSI. M
ANTONIVS. HONO
RAT.

Vidit hoc etiam Teschenmacher, sed non satis accurate descripsit in Annalibus Cliviae parte I. pag. 24. qui monet ad oppidum Santen esse effossum. In monumento alio paulo plenius sed inverso ordine C. TR. VL. scribitur. Latere eandem Coloniam puto in verbis sed admodum corruptis Anonymi Ravennatis libro IV. cap. 24. ubi urbes Germaniae Cisrhenanae, inde a Moguntiaco, *Moguntiam* dicit, usque ad Matalionem, militarem viam, & Rheni ripam secutus, recenset, *Asciburgio, Beurtina, Traja, Noita, Coadulfaveris.* Tu mecum lege *Betera* vel *Vetera*, & recisis distinctionibus, quæ quasi diversas voces, disjungunt *Trajana Colonia Ulpia* litteris intermediis similiter exclusis aut mutatis.

Quod attinet ad locum Ammiani Marcellini alterum (duobus namque in locis meminit de *Tricesima* sive *Tricensima*) necdum is mihi persanatus videtur ab Henrico Valesio. Libri vetusti ita habent libro XX. cap. 10. *Omnique apparatu, quem flagitabat instans negotium, communitus, obtricensimae oppido propinquabat.* Valesius ita haec emendat, ut τὸ *ob* plane excludat, tu autem ex Criticorum praeceptis, & usu vetusto scribentium τὸ *tri* legendo gemina hoc modo *Obiter tricensimae, Obiter* autem hic expones *per viam*, quemadmodum Tiberius Imperator id exposuisse dicitur a Charisio

Insti-

Inſtitutionum Grammaticarum libro II. pag. 187. editionis Putſchii.

Haec de loco dicenda fuerunt, in quo lapis hic olim Matribus Brittis, id eſt, Brittonum ſeu Britannici populi ad Rhenum Nymphis & tutelaribus Deabus eſt conſecratus; quae tanto diligentius diſputanda erant, quod nomina Matribus his attributa, ipſius loci nomina ſunt, quibus Matres illae, tanquam Numina topica ſeu localia praeſidebant. Romani namque ad populum locumve peregrinum delati, praecipuae curae habuerunt, propitiare ſibi populi ejus locive Genium & Deum peculiarem. Hujus moris pleni ſunt omnes libri. Nunc hoc ex Virgilio accipe, Aeneas ut ad locum venit fatis ſibi deſtinatum in Italia

frondenti tempora ramo
Implicat, & GENIUMQUE LOCI, primamque Deorum
Tellurem, Nymphaſque & adhuc ignota precatur
Flumina.

vid. Aeneidos VII. 135. Galli autem & Germani potiſſimum Deas, terrae locorumque praeſides celebrabant, eaſque *Matres*, *Matronas* & *Mairas* nominabant. Operae pretium cognoſcere doctiſſimi Keyſleri Diſſertationem de Mulieribus fatidicis veterum Celtarum Gentiumque Septentrionalium.

Uſque adeo autem hoc verum eſt, a gente regioneve cognominatas eſſe has Matres, ut lecto Matrum harum nomine, quiſque ſibi perſuadere poſſit, nationem, populum, regionem, urbem aut locum alicubi eſſe hoc nomine dictum. MATRIBVS SVEVIS lapis ſacratus in Germanica Rheni ripa Abbatiae Divitenſis, vide Gruteri Theſaurum pag. XC. n. 12. Qui autem fuerint Suevi, & quam late habitaverint, docet Tacitus de Moribus Germanorum cap. XXXVIII. MATRIBVS GALLAICIS in Gallaecia Hiſpaniae Regione Gruterus pagina eadem n. 9. MATRONIS VEDIANTIABUS in Gallia Narbonenſi ad Nicaeam, Sponius in Miſcellaneis Eruditae Antiquitatis pag. CIV. n. 75. Vediantiorum meminit in iiſdem locis Plinius Naturalis Hiſtoriae libro III. cap. 5. Huc refero MATRES FRISAVAS primum ab Ampliſſimo Cupero in lucem protractas in Inſcriptionibus & Marmoribus cum Homeri Apotheoſi conjunctis pag. 267.

MATRIBVS
FRISAVIS PATERNIS

Qui si locum indicasset, in quo inventus est hic lapis, nobis non tantum quaerendi molestiam exemisset, sed & non mediocriter, ut puto, consuluisset Geographis, ambigentibus de Frisiabonum sedibus, quas Plinius inter Helium & Flevum, Rheni exteriora ostia, non tantum, sed & in Gallia collocat, vide ejus Naturalem Historiam libro IV. cap. 15. & cap. 17. Hos tamen Altingius in Notitia Germaniae Inferioris atque in voce FRISIABONES ex Gallia relegandos censet, contra vero Cluverius in Germania Antiqua libro III. cap. 17. plane deleri cupit, dum Codices Plinii corruptos pronunciat. Equidem autem Frisavos non alios puto, quam Frisebones, quos Frisaeones dixit, quisquis auctor fuit hujus tituli apud Gruterum in Thesauro pag. 600. n. 13.

HILARVS
NERONIS CAESARIS
CORPORE CVSTOS
NATIONE FRISAEO
VIX. A. XXXIII.

V namque & B litterae sunt, quarum altera in alterius locum saepe transiit, ipsam autem litteram V saepe extritam reperias atque elisam, unde FAOR pro FAVOR, AO pro AVO, item BATAVS id est Batavus, & sexcenta alia observare licet. Frisavi autem & Frisaevones non magis distincti fuerunt, quam Franci & Francones, aut Frisii & Frisiones, de quibus ante monui. Frisavosque hos & Frisaevones eosdem puto, quos Frisiabones dixit Plinius. Ut autem Hilarum illum Neronis Caesaris corpore custodem Frisiabonem accipio, non ex Gallia, ubi Frisiabones Plinius libro IV. cap. 17. recenset Runicis sive Rinucis & Betasiis interpositos, sed eos, quos cap. 13. Cauchis & Sturiis finitimos collocat, quia Nero corporis Custodibus usus est non Gallis, sed Germanis; ita Frisavas Matres similiter eorundem Frisiabonum interpretor, lapidemque in eorum terris repertum auguror, quod plurimi lapides a Cupero primum editi in fœderatorum regionibus sunt inventi, aut in proximis ad Rhenum locis. MATRONAE VACALLINEHAE similiter locum

cum testantur, nempe pagum *Vachlendorf*, vide Gruterum pag. XCI. n. 3. & RVMEHAE (forte legendum RVMANEHAE) pagum *Rumanheim* ibidem n. 4. Neque ambiguum mihi est facile ceterarum Matrum nomina, ab iis expediri posse, qui loca illa habitant, ubi lapides effossi sunt; hoc tantum dolendum, locum inventi lapidis omissum saepe esse, & quod magis dolendum, a præstantibus etiam doctrina Viris; quanquam ex iis, quae disseruimus hoc loco, intelligitur, quantus inde ad intelligentiam Geographiae antiquae fructus redundet.

Non tempero hoc loco, quin addam titulum, quem ex Schedis Ewichii exscriptum haud ita pridem mecum communicavit Hagenbuchius noster, primum quia ad Deas Matresque locorum priscorum indices, de quibus hic agimus, unice pertinet, deinde, quia ex iis, quae ad illustrandum eum proponemus, utilitas clarius apparebit, quae inde percipitur, si nominati fuerint loci, ubi effossa sunt monumenta. Lapis ita habet

Q. VADRV . . .
ET GENIO LO . . .
. . FLAVIV . . . .
SEVERV . . . .
VET. LEG. X. . . .
V. V. TEMPLUM . .
CVM ARBOR . . .
CONSTITVIT
V. S. L. M.

Inventus ille est ad vicum Qualburg, qui non multis passuum millibus abest a Clivia Urbe, Ducatus Clivensis Capite; unde mox in opinionem veni, vicum hunc reliquias & rudera servare veteris Quadriburgi, cujus meminit Ammianus libro XVIII. cap. 2. inter Civitates Rheno proximas atque a Juliano Caesare occupatas: Sunt autem hae. *Castra Herculis*, *Quadriburgum*, *Tricesimae*, *Novesium*, *Bonna*, *Antunnacum* & *Bingio*. Secutus autem est in his recensendis ordinem & situm earum. Castra Herculis infra Neomagum sunt, certe illic ab Auctore Tabularum Peutingerianarum collocantur; perperam egregius Altingius in Malburgio, Arnhemiae nostrae proximo, constituit. Neomagum autem dico (complures

namque fuerunt hoc nomine urbes) universae Gelriae nunc caput, olim etiam Batavorum, ut nonnulli prodiderunt. Ab hac autem urbe Castra vetera petentibus medio fere itineris spatio occurrit Qualburg. Novesium, Bonna, Antunnacum & Bingium seu Bingio notissima hodie sunt ad Rhenum oppida. Quin & ipsa illa legio trigesima Ulpia Victrix, cujus potissima castra ad vetera fuerunt, cohortes vero & alae per vicina castella descriptae, in hoc titulo memoratur. Ejus enim legionis Veteranus fuit Flavius ille Severus, qui Quadruburgensibus sive Deabus sive Matribus & Genio loci, in quo Quadriburgus oppidum stetit, hic templum constituit. Ut adeo ambigendum minime sit, quin Qualburgum illud, quod & in nonnullis Tabulis Geographicis *Quatburg* vocatur, priscum illud Quadriburgum, sive mavis Quadruburgum, Quadriburgiumve sit. Confirmatque opinionem nostram magnus nummorum Romanorum proventus ad vicum Qualburg, de quo Teschenmacher pag. 26. quorum nonnullos mihi dono detulit Hagenbuchius, Vir industrius in indagandis priscorum temporum reliquiis, qui nummi tametsi scabri sunt atque exesi vetustate, non obscuros tamen Constantiniani ac Julianei saeculi notas praeferunt, quorum aetate potissimum hoc Quadriburgium emersit, despectis jam aut dirutis iis urbibus, quae antea in his oris celebrabantur. Ostendit autem haec una inscriptio irritam Teschenmacheri, Altingii atque aliorum operam, qui id egerunt, ut aliorsum traherent Ammiani Quadriburgum; & nescio quae de Waterburgo, sed nullo Auctore, comminiscitur Altingius, mirorque haec non indoctis hominibus probari. Sed desino mirari, cum & hanc originationem aliis probatam legimus. *Quadriburgum Quaedraed, Quaedtreck, Quastraed, Quawech, een dorp tussen Colen en Gulich; Tricesimae Utrecht.* vid. Matthys vander Hoeve Charte Cronyk pag. 130. Sed hi sunt ludi, quos crebro Scriptores Batavi faciunt. Quandoquidem autem argumenta complura concurrunt, mutilatum esse illum lapidem, qui Quadriburgi memoriam conservat, suspicio est, ut in latere multa, sic in superiore parte unum versiculum inde abrasum, qui aut Matres, Matronas, Deas, aut quodcunque numinis indicium haberet, nam istiusmodi nominibus perscribebantur Dii urbium locorumque Praesides in Gallia, aliisque Transalpinis Regionibus, ut paullo ante docuimus. Et juvat suspicionem hanc nostram Inscriptio, quam Barthius libro LII. cap. 1. Adversariorum ob oculos ponit, suisque inseruit Thomas Reinesius Classe I. n. 140.

DIIS

DIIS QVADRV B'S VICANI
BIBIENSES D. S. P.

Proditus est hic lapis ad Sanctum Goarum, quae Urbs est ad Rhenum inter Confluentes & Bingium, aequato fere utrinque intervallo. Non sequor autem virum in obscuris indagandis sagacissimum alias Reinesium, qui ex hoc lapide Deos Quadrivios fingit. Integer titulus ita formandus. *Diis Quadruburgensibus* vel *Quadruburgiis Sacrarunt vel Sacrum vicani Bibienses de suo posuerunt.* ita namque

SVLEVIS ET CAMPESTRIBVS SACRUM

De qua inscriptione plura mox dicemus. Quaerere se dicit Reinesius Vicanos Bibienses in tractu Rhenano, sed ego ei *Biberum* ostendo oppidum haud longe remotum Sancto Goaro. Possit tamen de difficiliore nodo extricando quaeri, Quadruburgum Civitas Cliviae vicina, eademne sit illa, cujus lapis ad Sanctum Goarum inventus meminit, atque huic, quod in Notitia Imperii Occidentalis Quadriburgum appellatur, censetque Guidus Panzirollus in Commentariis de Clivensi Quadriburgo interpretandum, ita autem in hac Notitia pag. 169. *Tribunus Cohortis Quadriburgio*, qui fuit sub dispositione Viri spectabilis Ducis Provinciae Valeriae Ripensis, & pag. 170. versa *Equites Sagittarii Quadriborgio*, sub dispositione Viri spectabilis Ducis Pannoniae primae & Norici Ripensis; quae provinciae Valeria & Pannonia maximo intervallo distant a Germania Inferiore & illa ejus parte, ubi Quadriburgum, quo de hic agimus, fuit situm. Sed hanc curam in aliud tempus producimus. Lapides hi duo quos dedi, praeterea alium in memoriam revocant, quem Sponius Miscellaneis suis eruditae Antiquitatis inseruit pag. LXXXIV. n. 26.

SILVANAB. ET. QVADRIBIS. AVG. SACRVM
C. ANTONIVS VALENTINVS. VET. LEG. XIIII G.
MVRVM A FVNDAMENTIS. CVM. SVO. INTROITO
ET PORTICVM. CVM. ACCVBITO. VETVSTATE
CONLABSVM. IMPENDIO. SVO. RESTITVIT
GENTIANO. ET. BASSO. COS.

Non inspexit hoc monumentum Sponius, sed accepit a Mayero, qui qua diligentia fuerit & peritia in hujus generis antiquitatibus tradendis, illi aestiment, quibus ille notior est, quam mihi. Quotquot vidi Viros eruditos, illi uno ore Deas Quadrivias hic designari consentiunt. Quas tametsi Sponius Dearum monstra nominat, satis tamen monumenta vetusta probant. Vid. Gruter. pag. LXXXIX. n. 5. & MXV. n. 1. & Cl. Otto de Dis Vial. parte I. cap. II. Si tamen fateri licet, quod sentio, conjectura [illegible] non ad Quadrivias illas, sed similiter ad Quadriburgenses *Quadrib.* esse referendum: fidem huic conjecturae facit locus reperti lapidis; effossus namque is est, teste eodem Sponio, in ruinis Carnunti, prope Viennam Austriae olim Pannoniae in pago Pedernel; quae Vienna Vetustis Scriptoribus Vindebona appellata creditur, Auctor Notitiae Vindomanam nominat. Equites autem Sagittarii Quadriburgio, nec non Praefectus legionis Quartae Decimae Geminae Carnunto, in qua militavit C. Antonius, qui saxum sacravit modo a nobis descriptum, item Praefectus Classis Histricae Carnunto eidem Duci Pannoniae paruerunt, necnon Tribunus Cohortis Quadriburgio, qui tempore confectae hujus Notitiae sub dispositione fuit Ducis Provinciae Valeriae Ripensis, hoc tempore, quo lapis consecratus est, id est imperante Theodosio juniore, sub Pannoniae Praeside militavit, siquidem, ut Auctor est Ammianus Marcellinus libro XIX. pag. 148. Diocletianus hanc Valeriam provinciam instituit, & cognominavit in honorem Valeriae filiae, additque Marcellinus antea partem fuisse Pannoniae. Consecratus autem ille lapis est iisdem Consulibus, quibus Antoninus Caracalla cum fratre Geta mortuo Patre imperium sunt auspicati, quod in Chronico testatur Cassiodorus. Ut adeo dubitandum non sit, quin milites Quadriburgio in eodem aut duntaxat vicino loco fuerint versati, in quo hoc monumentum Quadriburgensibus Dis dedicavit Valentinus. Et & in vicinia lapidis inventi locus, qui Quadriburgi illius Pannonici nomen servare videtur, *Kerlburg* hodie appellatur, qui eodem fere intervallo abest ab oppido Pedernel vel Petronel, quo hoc Vienna. De litteris reliquis IS. AVG. si meam sententiam desideras, haec dico, usurus ea, donec meliora edoctus fuero, Isidem Augustam notare. Interpungendus ergo hoc modo primus versus, dummodo in eo litterae omnes bene descriptae sint a Mayero.

SIL-

SILVANAB. ET. QVADRIB. IS. AVG. SACRVM.

Fuit autem Isis non ignota Germanis Dea, certe non Sueviae populis nonnullis, vide Tacitum de moribus Germanorum cap. IX. *Pars Suevorum & Isidi sacrificat.* Colerus non inprobabili motus ratione partem hanc existimat, quae ad Danubium seu Istrum incoluit, ad quem fluvium etiam hic lapis Isidi positus est, plurimique alii eidem Deae inscripti extant aut olim exstiterunt. Tu vide Gruteri Thesaurum pag. LXXXIII. n. 1. ubi Priscianus Augur vel Augustalis Coloniae Sarmizaegethusae aram consecrat Deae Isidi. Collocat autem Ptolemaeus hanc Urbem & Coloniam in Dacia, quae provincia finitima est Pannoniae ad Amnem Rhabona, qui in Danubium exit. Neque procul abest Alba Julia, ubi & Isidi & Serapidi sacrum Saurana fecit, vide Reinesii syntagma Inscriptionum Classe I. n. 132. eorundem Numinum cultum etiam Batavorum insula vidit, vide eundem Reinesium n. 137. Alia habet Elias Schedius de Dis Germanis cap. IX. Nemo requiret, puto, ut Isidem Augustae nomine appellatam doceam.

Ad Matres a loco nominatas & topica numina pertinet porro Dea Hludana. Inspexi aram ejus in Bergendael seu agro Clivensi & ita descripsi.

DEAE
HLVDANÆ
SACRVM
C TREBIVS
VERVS

Descripsit eam ante Cuperus in monumentis antiquis pag. 226. sed perperam. Ex hoc autem aliisque exemplis didici, fefellisse subinde oculos Illustrem Virum, cujus insignia extant in rem litterariam merita. De Trebio tamen nomine nihil recipio, admodum scaber est in ea parte lapis. Qui si effossus est ad Castra Vetera, ubi effossum suspicamur HLVDANA haec tutelaris fuit ejus loci, ubi nunc *Luddingen*, qui non distat multum Castris Veteribus sive Santen oppido. *Ingen* autem productio vocis est, de qua consule Glossarium Schilteri, ex quo *Luddingen* notare queat urbem seu sedem HLVDANÆ Matris. Aliter nomen hoc interpretatur Cl. Altingius

gius in Notitia Germaniae Inferioris, parte I. voce Nehalenniae Sacellum. Haud equidem eo inficias, factum fuisse nonnunquam, ut Matribus non in suo loco positae sint arae, aliaque pietatis religionisque monumenta. Sed hujusmodi quae sunt, talium fere Matrum ea esse reperiemus, quae in magna aliqua gente ac natione multis populis communes fuere. Quales fuere Ausaniae Matronae, quas Lugdunum ad Rhodanum olim in lapide ostentabat, nunc Gruterus in Thesauro pag. XC. n. 11. atque ex eo alii. Inscriptionis partem hic exhibemus.

PRO SALVTE DOM
N. IMP. L. SEPT. SEVERI
AVG. TOTIVSQVE DOMVS
EIVS AVFANIIS MAT
RONIS ET MATRIBVS
PANNONIORVM ET
DALMATIARVM

Ausanias enim Matres sive Matronas, quas etiam Neomagensis lapis inscriptas habet, editus olim ab Johanne Smetio in Antiquitatibus Neomagensibus pag. 91. hodieque conspicimus in Curia illius urbis, communes fuisse putem & multorum populorum Matres cis & ultra Rhenum. Atque ex his Ausaniabus ea fuit, quae templum habuit in Marsis, populo Transrhenano, quod tamen templum non uni huic populo, sed gentibus per ea loca celeberrimum fuisse scribit Tacitus Annalium libro I. cap. 51. Tausanam enim appellatam censeo, & sic aut corrigendum hoc nomen apud Tacitum, aut de eadem Dea interpretandum, t enim littera, qua haec Tausana ab Ausaniabus Matribus, differt, articulum indicat, ut in multis aliis nominibus ex prisca Germanorum Gallorumque lingua repetendis. Exemplo nunc sit Tamesis nobilissimus Britanniae fluvius, qui voce nil discrepat ab Amasi Germaniae, qui in Oceanum effunditur, illoque amne, qui infra Amesvordiam, cui ab eo nomen est, in Flevum, aut, ut nunc appellamus, mare Austrinum effluit. Britanni nonnunquam *Tenames* scribunt, nec movet Camdenus in Britannia pag. 295. Similiter articulus aliis nominibus antiquis adhaeret. Nam ita Thraciae Regem *Thrascypolim* nominant plures & praestabiliores Suetonii Codices in Tiberii vita cap. XXXVII. quem alii *Rascipolim*

polim dicunt, vid. Seguini selecta Numismata cap. II. n. 13. neque aliter *Dicaledones* Marcellino vocantur libro XXVII. pag. 346. qui Scriptoribus aliis *Caledonii* dicuntur, unde & Oceano *Dicaledonio* sive ut apud Ptolemaeum est *Deucaledonio* nomen, frustra Buchananus rerum Scoticarum libro II. pag 55. id in *Duncaledonium* mutare laborat. & sic Anonymus Ravennas libro V. cap. 31. & 32. *Dorcadas* nominat insulam (insulas debuit dicere) quas *Orcadas* vulgo appellant. *Tibilenus* pro *Beleno* est in nonnullis libris scriptis Tertulliani Apologet. cap. XXIV. unde nescio quod daemonii nomen nonnulli confingunt. Nec inconcinne hoc modo Danubius fluvius ab Αὔνοβα monte, ut Ptolemaeo vocatur, unde ei origo, deducitur. An & huc referenda duplex fluminum Dnieper & Dniester scriptura, crebro enim detracto d haec nomina exarantur, flumina sunt Sarmatiae, hodie Poloniae, quorum illud Borysthenes, hoc Tyras Veteribus appellabatur. Illud nobis constat flumen Y Amstelodamensibus notissimum vulgari sermone & scriptura *Ty* appellari, neque aliter in diplomatibus antiquis *Tutrecht* pro *T'utrecht* exaratum reperi. Fanas tales complures coluit barbara olim Germania Galliaque, unde & *Leve Fane*, quae nomen dedit mansioni in Bataviae insula, nisi mavis, ab hoc loco Deae nomen inditum, ut ceteris Matribus. Mansionem hanc VIII. M. P. a Carvone sejungit Peutingeriana Tabula & XVII. a Fletione, ita namque Tabula illa, ut est in M. Velseri operibus edita pag. 723. 730. *Carvone* VIII. *Levefano* XVI. *Fletione* XII. *lauri* V. *Nigripullo* II. *Albomanis* V. *Matilone*; haec posui, ut inde Levefanum oppidum redderem Anonymo Ravennati Libro IV. pag. 181. ubi haec Urbium nomina ponit *Beurtina*, *Traja*, *Noita*, *Coadulfaveris*, *Evitano*, *Fletione*, *Matellione*. Nullus non videt, legendum esse *Levifano*. Monstra autem nominum cetera supra procurare instituimus. Ad Fanas easdem pertinet & *Lephana*, ut scribitur a Ptolemaeo, qui oppidum dicit ad Albim in Angrivariorum terra. Frustra sunt, qui Fana haec ex lingua Latina interpretantur. Fana illa Dea etiam nunc rusticis per haec loca cognita est, & malum illud immittere creditur, quod Podagra Dea Latinis & divitibus conciliat. Male autem Cuperus in Inscriptionibus & Marmoribus antiquis pag. 269. a vico, cujus meminit Antoninus in itinere quod a Treveris Agrippinam ducit, Ausanas dictas autumat, pejus etiam nomen vici mutat, Ausavae enim nomen est, non *Ausanae*,

quam scripturam non solum Codices prisci testantur, quos vidit Surita, sed & eam Peutingeriana Tabula confirmat. Imo Codex Regius Itinerarii *Ausabam* legebat, solenni V & B commutatione, qui Codex certo indicio est, non *Ausanam* sed *Ausavam* esse nominatam mansionem.

Haec jam scripseram, imo volumen hoc jam plane absolveram, cum ecce Inscriptiones Gudii desideratissimum Viris eruditis opus, in lucem protraxit Cl. Franciscus Hesselius, in iis hunc titulum reperi pag. 55. n. 11.

TAMFANAE
SACRVM
M. APPVLEIVS. M. F. VEL. PAETV
LVS DECVR. INTERAMN.
QVINQVENNAL II. SIG. D. D.

Descripsit Gudius hunc lapidem ex Schedis Ligorii. inventus fuit Interamnae, sed cujus, fuerunt enim plures hoc nomine urbes, ignorare nos voluit. Firmatur autem inde Vulgata Taciti scriptura, de qua antea egimus, nisi quod Tamfanam dicit, quam illius libri exarati Tanfanam scribunt. Sed de hoc lapide ampliandum censeo. Certe plura de eo disputanda erunt, quam aut hujus operis mensura aut institutum nostrum ferunt.

Hoc satis a nobis declaratum puto, cavendum esse, ne facile cultum earum Matrum extra locorum suorum pomoeria proferantur, monuitque dudum Servius ad Virgilium Aeneidos libro VII. v. 47. *Deos topicos id est locales ad alias regiones nunquam transire.* quod tamen de Germanorum Matribus verius, quam de Graecorum Dis dicas, in qua quidem re non satis cavisse Reinesium, Cuperum & Keyslerum, deprehendere licet; qui Matres Suevas ex Germania sua evocatas ultra Rhenum Alpesque inque ipsam Italiam ipsamque Romam deportant. Sed quanquam forte hujus amplissimae Gentis Deae in multis terris fuerunt cultae, nego tamen iis monumentis earum cultum doceri, quibus ipsi putant. Cuperus namque in inscriptionibus & monumentis antiquis pag. 267. & Keyslerus de Mulieribus Fatidicis pag. 241. & 441. lapidem illum ex Fabretto de aquae ductibus pag. 106. & Sponio in Miscellaneis Eruditae Antiquitatis pag. 107.

SVLE-

SVLEVIS ET CAMPESTRIBVS SACRVM
L. AVRELIVS QVINTVS. 7 LEG VII :·: GEMINAE
VOTVM SOLVIT LAETVS LIBENS
DEDICAVIT VIIII.K SEPTEMBRE BRADVA ET VARO
COS.

Totum titulum descripsi ex Raphaelis Fabretti Dissertatione de Aquis & Aquae Ductibus veteris Romae; dicit enim a se primo productum esse in lucem hoc monumentum. Apparet autem quid in eo migraverint dein Sponius & Cuperus, certe apparebit hoc ei, qui horum exemplum contulerit cum illo, quod dedimus. In indice Gudianarum Inscriptionum de paribus Consulum, quoque descriptum videas hunc titulum, ni fallor a Kolio: convenit ei & Fabretto, nisi quod T non L Aurelium nominat. Cuperus notam 7 plane omisit, Keyslerus in Antiquitatibus Celticis pag. 421. Decurionem interpretatur incogitantiae, ut puto, non judicii errore. Sulevas autem Suevas interpretatur non invito Keyslero Cuperus. Sed unde Suevis Matribus locus Romae? inventus nempe Romae lapis. Imo vero non memini lapidem, qui Matrum harum mentionem in Italia faciat, si ab eo discedis, quem de Matribus Tamfanis produxit Ligorius, & de Matre Villae Fagnae ex Boissardo Gruterus MLXXV. n. 13. Cujus tamen interpretatio est admodum obscura, vide quae Hesselius in notis ad Inscriptiones Gudii pag. VII. & seq. Quare malim credere Nymphis Sylveis & Campestribus positum hunc lapidem, id est Sylvestribus & Campestribus. *Sylvanae* illae sunt dictae in alio saxo, quod supra exposuimus. Sylveas sive Sylvias pro Sylvanis seu Sylvestribus recte dici cognoscimus ex Virgilio Aeneidos libro VI. v. 763. & seq. & Festo in voce *Sylvii*. Temere etiam Reinesius Classe I. n. 175. LUTATIAS SUEVAS, Matres Deas exponit in lapide, qui ad Ubbergam prope Neomagum & Vahalim est repertus, inspectusque a Smetio Patre, cujus oppidum Batavorum vide cap. IV. pag. 34. Sed ego Lutatias has non Deas accipio, sed homines sororesque natione aut saltem nomine Suevas.

Forte & ille erraverit, qui *Matres Treverus* extra Treverorum terminos promoverit, tametsi hodie ara in Bergendalensi sive Clivensi agro extat. Inscriptio haec est, quam hic oculis omnium expono, ut a me in eo loco conspecta & descripta est, eam enim admodum mutilatam exhibet Keyslerus

MATRIBUS
TREVERIS
T. PATERNIVS
PERPETVS
CORNICVLAR
LEG. LEG
XXXVVLM

Male etiam hanc miscet Keyslerus cum alia Inscriptione, Jovi O. M. Conservatori sacrata, ea namque eodem quidem in agro locoque nunc spectatur, sed non in eodem lapide. Dico autem, errare forte eum, qui Matres has extra Treverorum fines submoverit. Tametsi enim nunc in Clivensium agro suburbano visitur, non ex eo manifestum est, in illo agro, aut etiam in proximis locis erutum esse. Mauritius namque Nassovius Princeps undique conquisita monumenta etiam e locis remotioribus ad Bergendalensem secessum suum, quem & cenotaphio suo exornari voluit, comportavit. Neglectus is post fata Viri aliquamdiu fuit, sed recenti Magistratuum Clivensium cura nitescere nunc rursus incipit. Dignissimus sane locus, in quo cum priscorum Deorum Virorumque vultus, tum Magni atque Illustrissimi Principis vestigia a seris posteris adorentur. Ita namque nuper cognovi ex Schedis Papenbroekianis Herculis Saxani monumentum, quod in eodem illo agro conspicitur, Antuinnaco atque ab ipsis Treverorum terminis, qui quidem nunc sunt, ad eum locum esse deportatum. Et tamen si in illo loco, ubi cum maxime spectatur, posita olim a Paternio perpetuo fuit illa ara, contendere inde ausim, usque eo spatiosos Treverorum limites procurrisse, quos constat longe lateque Rhenum inter & Mosam incoluisse; De his consule Philippum Cluverium in Germania Antiqua libro II. cap. 14. ut adeo ridendo verum dixerit Cicero, cum ad Trebatium suum adludens scribit, hos Treviros Capitales esse libro VII. epistola 13. consule porro Philippum Berterium qui in Pithanon Diatriba 1. cap. 3. Augustam Treverorum urbem Galliarum Metropolin fuisse docet.

Missas nunc facere cupio reliquorum locorum Matres atque ad Brittas recurrere. Sed properanti quasi manum injiciunt *Matres Augustae.* Aras & titulos harum proposuit Gruterus pag. XC. n. 1, 2. 3, 5. Reinesius I. n. 173. Lepidus sane est Paradinus, qui teste Sponio in *Recherche des Antiquitez & Curiositez de la Ville de Lyon chap.* 5. illud

5. illud Matris Aug. de Matre Auguris interpretatur. Chorierus autem in Antiquitatibus Viennensibus Gallice scriptis *Meres Augustes* vertit, cujus sententiam laudat eo loco, quem dixi, Sponius. Keyslerus etiam de Mulieribus Fatidicis §. 34. & Cuperus in Inscriptionibus & Marmoribus antiquis pag. 268. Augustarum nomen Matribus his tributum censent, eodem modo eademque de caussa, qua ceteri Dii omnes Augusti dicuntur, ad significandam videlicet Divinam Majestatem. Neque equidem nego, recte hoc sensu Matres Augustas appellari, sed cum deprehendo lapides tantum non omnes, qui Matres Augustas testificantur, Lugduni in Gallia esse consecratos, aut ad Viennam, quod in proximo oppidum est, & Lugdunensium fines contingit, quid prohibet, quo minus ut ceteras Matres, sic quoque has Augustas ab Urbe ac loco dictas existimemus? Haud namque obscure colligitur ex monumentis vetustis, Lugdunum urbem *Augustam* fuisse cognominatam. Non ignoro, huic cognomini adversari Sponium in *Recherche de Lyon*, ubi IIIIII. VIR AUG. C. C. C. AVG. LVG. explicat *Sextumviro Augustali Trecentorum Augurum*, verum haec explicatio a ratione & usu loquendi etiam ab officio Augustalium abhorrere videtur. Quin dum scriptum hoc typothetis tradere paro describendum, commode indicio Christophori Cellarii in Geographia Antiqua libro II. cap. 2. pag. 133. intelligo, ipsum Sponium emendasse hunc suum errorem in Miscellaneis Eruditae Antiquitatis sectione V. pag. 170. ubi vide, credo etiam de Matribus Augustis sententiam mutaturum fuisse, si tum animum subiissent.

Ad Matres Augustas retrahit quoque Reinesius, sed ea vi, qua solet grassari in antiqua monumenta. Saxum effossum Vasione, quod oppidum Vocontiorum in Gallia Narbonensi, Saxum hoc verborum ordine exhibet ex Salvagnio Classe I. n. 174.

MATRIBVS. ADCVLTVS
VASSEDON. S. F. V. SL. M.

Quem ordinem si ipse lapis praescripsit, ita verba expone. *Matribus Vasionensibus Sextus* vel etiam *Septimius Donius Adcultus Sacrum fecit Votum solvit Iubens merito.* Si tamen is ordo verus est, quem Sponius in Miscellaneis ostendit Sectione III. n. LXXVIII. pag. 105. a monstrosis his Matribus plane abstineo.

Haec autem quae de Matrum appellationibus a populo aut loco desumtis docuimus, si cogitaveris, atque illis praeterea addideris, quae Jo. Georgius ab Eckhart in dissertatione de Apolline Granno Mogouno, inserta ab Actorum Lipsiensium Editoribus supplementis Tomi IX. Sect. VIII. pag. 346. erudite est commentatus; Omnia vero haec si ad Matres Brittas retuleris, dubitare utique non poteris, quin aut a loco, aut a populo, cui Britten nomen fuerit, Matres illae Brittae sint cognominatae. Imo dubitare non poteris, eum locum populumve fuisse illic, ubi lapis hic est effossus ad Castra Vetera, ad quem etiam locum milites, qui aras has posuerunt, Matribus his, Sacramentum legioni illi dictum revinxit. In illa ergo regione quaerendus est Brittorum populus, & ne diu quaeras, en tibi *Birten* vel *Berten*, vicus hodie haud longe dissitus ab oppido Santen. Nonnulli hunc vicum *Bertheim* & *Britheim* nominarunt, ut ambiguum non sit, non locum *Britten* fuisse dictum, sed Brittorum populum illic habitasse, *Britheim* namque vetusta lingua Gallica & Germanica Brittonum sedem notat. Nolui autem te quid, quam moveat literarum e & i metathesis, quae crebra est in aliis vocibus, & usurpata in ipsa hac voce ab iis, qui Germanica Dialecto utuntur. Buchananus namque rerum Scoticarum libro I. pag. 5. docet Britannos a Gallis aliisque populis, imo ab ipsis etiam Insulanis non productiore vocabulo fuisse dictos, sed breviore *Britten*. Ita autem Buchananus. *Nam & Galli propiores* BRETTAS *appellant omnes feminas Britannicas &* Bretter *Britannice loqui, & Promontorium Aquitaniae vulgo* Cap Bretton *dicitur, & utrique Scoti, hoc est Albinenses & Hibernenses sic loquuntur. Id tantum interest, quod qui Germanica Dialecto gaudent, interdum transpositione litterarum utuntur ac* BERTON *pro* Breton *proferunt.* Idem quoque libro II. pag. 73. tradit, eam insulae partem, quae olim, ducto vallo Romanis parebat, ab ipsis Britannis Scriptoribus saepius *Brittones* quam *Britannos* appellari. Adde huic Camdenum in Britannia pag. 26. *Eadem*, inquit, *ratione necessario credamus, hanc nostram insulam Britanniam ab incolis denominatam esse, quos* Brit vel Brith *barbare fuisse dictos persuadent nonnulli.* Witichindus etiam Monachus Corbejensis, qui saeculo decimo vixit Othone Magno imperante, in Annalibus suis Britannos semper *Brettos* nominat. *Brittorum* quoque mentionem facit Notitia Imperii, dum *Tribunum Cohortis tertiae* BRITTORUM *Abusina* recenset sub dispositione

ne

ne Viri spectabilis Comitis provinciae Retiae primae & secundae. Panzirollus vocem hanc *Brittorum* ut ignotam sibi in *Brittonum* refingere cupit, sed praeter necessitatem. Hodie quoque Hollandi nonnunquam Britannos *Britten* nominant, & Britanniam *Brittenland*. Fraudi autem fuit duplex hoc nomen Brittiae & Britanniae Procopio, qui discretas existimavit has regiones, quae vere eaedem sunt, ut deinceps a nobis demonstrabitur Cap. VII. Aliena ergo sunt a vero, quae Pighius in Hercule Prodicio pag. 26. de pago Britheim sive Brittarum Matrum regione populique Britannici vico comminiscitur. *Sub radice collis atque Praetorii*, inquit, (Vorstenburg intelligit) *Agrippinam Coloniam versus ad Rhenum pagus est cui a loco Veterum Castrorum aliquid nominis adhuc residuum est, nam corrupta voce Beerthemum nunc Incolae Vernacula lingua vocant V in B mutantes, ut in usu est frequenti, & quo contractius expeditiusque pronunciarent T litteram transponentes. Veterheimum enim rectius appellarent, quasi Veterum mansionem, nomine ex Latina & antiqua Belgica voce composito.* Et tamen hic alios etiam in suam sententiam perduxit, atque inter eos Altingium. Alter locus ad Rhenum a Brittis appellatus est *Bretten* urbs Palatinatus inferioris ad amnem Saltzam, qui ad Philippiburgum Rhenum auget: Nomen dedit Praefecturae Brettensi; verum urbs haec nobilior longe ab alumno suo Philippo Melanchthone, qui ut tradit Camdenus in Insulis Britannicis, persuasum etiam habuit, a Brittis sive Britannis hanc Patriam suum nomen accepisse. Neque hoc a veritate abhorret, siquidem ex iis, quae diximus, & quae deinceps proferentur, manifestum est, Britannos nonnullos ad Rhenum, atque alibi in Germania Galliaque, relicta Insula sua, sedes fixisse.

CAPUT IV.

Plinii locus de Britannica *herba expenditur. Muntingii liber de ea. Fontis Plinio memorati locus cur nunc nullubi reperiatur. Locus ubi herba ea nascitur. Locus Castrorum Germanici. Locus & sedes Frisiorum Plinio memoratorum. Hi Batavis & Caninefatibus proximi fuerunt. Caninefates inferiorem Insulae Batavorum partem tenuerunt. De iis*

iis Junii sententia improbatur. Lapis vetustus nove expositus. Brittenburgus in utra Rheni ripa fuerit. Frisii vicini Batavis. iterum de loco Castrorum Germanici. Agrippina cur in Caninefatum terra Praetorium excitarit? Agrippina haec filia fuit Agrippae & Juliae, non Mater Neronis. Illa amantissima Mariti militibus sese ostentabat. Multa negligenter acta a Scriptoribus Batavis secure Auctores suos sequentibus. Male illi Praetorium hoc armamentarium censent. Junii error de lapide, qui armamentarii meminit. Error Altingii perstrictus. Iterum de loco, in quo herba Britannica nascebatur. Potuit is ad Amisiam esse. Berte *&* Cappelberte, Berdum vici Frisiae. *Germanici Castra ad Amisiam.* Bourtange *Frisiae & Drentiae a Britannis nomen. Lipsius notatus.* Britzum *vicus in Frisia & Anglia. Auctor Historiae Landgraviatus Thuringiae expositus. Frisiae pars videtur Britannia dicta, & Frisones Britanni. A Junio disceditur. Cespites cur* Bretten *&* Britten *dicti.* Bret, *id est bort. Iterum Junius refutatur. Herba Britannica non est Cochlearea. Flores Britannicae cur* Vibones *dicti. Britanni, a quibus Britannica dicta, misti tandem Frisiis.*

PErgimus ad Britannicam herbam, quae in Frisiis inventa a Britannis nomen accepit, ita namque de ea Plinius Naturalis Historiae libro XXV. cap. 3. *In Germania trans Rhenum Castris a Germanico Caesare promotis, maritimo tractu fons erat aquae dulcis, solus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus solverentur. Stomacacen Medici vocabant & Sceletyrben ea mala. Reperta auxilio est, quae vocatur* BRITANNICA, *non nervis modo & oris malis salutaris, sed contra angues quoque & serpentes. Folia habet oblonga, nigra, radicem nigram. Succus ejus exprimitur & ex radice. Florem* vibones *vocant: qui collectus prius,*

prius, quam tonitrua audiantur & devoratus, securos in totum reddit. Frisii, qua Castra erant, nostris demonstravere illam. Miror que nominis caussam, nisi forte confines Oceano Britanniae, velut propinquae, dicavere. Non enim inde appellatam eam, quod ibi plurima nasceretur certum est, etiam nunc Britannia libera. Videmus hic herbam, quae Britannica est appellata, videmus etiam formam ejus, vires, locum nomenque, & caussam nominis. Quae ad formam viresque pertinent, Medicis relinquimus, qui & in iis sese non mediocriter exercuerunt, ceterorum tamen diligentiam vicisse existimatur Muntingius, qui peculiarem librum edidit de herba Britannica, mihi tamen, quanquam vulgaris est, necdum conspectum. Non etiam indictam omisit Salmasius in Homonymis Hyles Jatricae cap. XLIII. Naturam fontis, quam Plinius tradit, similiter aliis inquirendam damus, nisi forte malum illud non tam fonti, quam regionis indoli ac cœlo adscribendum. Altingius in notitia Germaniae inferioris voce FONS AQUAE DULCIS fontem hunc Oceano obrutum aut mutatum putat; nec deerunt qui extinctum putabunt recordati Mercurii monitum apud Lucianum in Ἐπισκοποῦσι. Ἀποθνήσκουσι γὰρ αἱ πόλεις ὥσπερ ἄνθρωποι. καὶ τὸ παραδοξότερον καὶ ποταμοὶ ὅλοι. *moriuntur enim etiam urbes, quemadmodum homines; Quodque longe mirabilius solidi etiam fluvii.* Locus vero herbae Britannicae & nominis caussa nobis erunt cordi. Locum autem ita designat Plinius, ut dicat fuisse in Frisiis atque ea parte Gentis hujus, ubi Germanicus Caesar sua Castra habuit. Memorat nonnulla Germanici hujus Castra in Germania Tacitus ut Annalium libro I. cap. 50. & 63. & libro II. cap. 9. Sed plura ipsum legatosque posuisse dubitandum non est. Imo cum simpliciter Castra nominat Plinius, aeque Castra Vexillationum & Cohortium, qualia plurima fuerunt per Germaniam, intelligere possumus, ac legionum & exercitus totius. Quanquam autem late habitarunt Frisii, quibus Majoribus minoribusque vocabulum est ex modo virium ut scribit Tacitus de moribus Germanorum cap. XXXIV. Sedesque eorum ad Amisiam producit Ptolemaeus, non multum tamen laborabimus, in inveniendis Frisiorum sedibus, quos Plinius meminit, modo Plinium ex Plinio illustremus. Ipse namque Frisiis, quos narrat, locum adsignat inter Helium & Flevum, id est inter Mosam & mare Australe, nec levis est conjectura, inter medium Rheni ostium & Flevum hos Frisios incoluisse. *In Rheno ipso*, inquit, Plinius libro IV. cap.

* exaruisse

15. *prope centum millia passuum in longitudinem nobilissima Batavorum Insula, Cannenufatum & aliae* FRISIORUM, *Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorum, quae sternuntur inter Helium & Flevum. Ita appellantur ostia, in quae effusus Rhenus ab Septentrione in lacus, ab occidente in Amnem Mosam se spargit.* Quia autem aliorum Frisiorum non meminit Plinius, quam quos hoc capite nominat, suspicari licet illos Frisios, in quibus Castra fuerunt Germanici, & qui Britannicam herbam ostenderunt, inter Rheni ostia non tantum habitasse, sed & Batavis & Cannunifatibus, ut eos Plinius nominat, proximos fuisse. Quandoquidem autem usque ad Oceanum Frisiorum fines procurrebant, probabile medio Rheni alveo, id est eo, qui Brittenburgum alluebat, a Batavis, aut dicam potius a Cannunifatibus sejunctos fuisse. Hos enim inferiorem Batavorum insulam habitasse cum ex Claudii Civilis Oratione apud Tacitum Historiarum libro IV. cap. 22. colligimus, in qua Cannunifates similiter ut Batavi *Galliarum portio* dicuntur, atque ex iis, quae graviter contra Junium disputat Cluverius in Germania Antiqua libro II. cap. 33. tum ex lapide antiquo Miliario, qui in Illustrium Wassenariorum aedibus extabat, probamus,

IMP. CAES.
M. AVREL. ANTO
NINO. AVG. PONT.
MAX. TR. POT.
XVI. CO. XIII. ET
IMP. CAES.
L. AVREL. VERO
AVG. TR. POT.
II. COS. II. A. M.
A. F. C. M. P.
XII.

Cl. Altingius in voce FORUM ADRIANI Notit. Germ. Infer. part. 1. corrigit CO. III.

In quibus posterioribus notis extricandis quam torserint sese Scriverius & Altingius, ex eorum libris cognosci potest. Male J. Breval in *Remarks on several parts of Europe* pag. 18. ita expedit *a Mosa mille passus* XII. & quod pejus, mutat lapidis inscriptionem in hanc sententiam, & ita extremam ejus partem exhibet

TR.

TR. POT. II. COS II A MOS MPXII.

Equidem autem eas ut in ipſo lapide leguntur ita expedio. *A Matileone ad fines Caninefatum millia paſſuum* XII. Ne id temere ſcripſiſſe videar, argumentis opportuniore loco firmabimus. Ex his intelligimus, omnes eos vicos, qui in medii Rheni ripa ſedent, Friſiorum terris accenſendam eſſe, quin & ipſum Brittenburgum, modo conſtet in dextra Rheni ripa fuiſſe ſitum, de quo tamen mihi nihil compertum & ſi conjecturae locus, in altera ſeu ſiniſtra ripa eam arcem collocatam fuiſſe ſuſpicor, quod Romanorum arces & caſtella Rheno impoſita, ut & Romano burgus, eam ripam inſederunt, atque ab hoſtilibus Germanorum incurſionibus, qui Rheno limite excludebantur, defenderunt. Vides, quam exiguo diſcrimine Brittos vel Britannos, in quorum regione aut pago arx cognominis fuit condita, a Friſiorum terra ſecluſa fuerit. Quare & Brinio Dux Caninefatum bellum cum pararet, nil opinantibus Romanis, ex adverſa ripa Friſios arceſſivit & Brittenburgum evertit, vide infra cap. X. & Tacitum Hiſtoriarum libro IV. cap. 15. ex quo cognoſces non ex longinquo ſed proximo trans Rhenum loco Friſios eſſe arceſſitos. Hinc porro liquet, quam exiguo intervallo Germanici Caſtra & locus Britannicae a Brittenburgo fuerint remota, fuerunt namque ea in Friſiis. Tametſi autem ipſum locum Caſtrorum deſignare non licet in hac Gente, quod indicii nihil addit Plinius, conjicio tamen, haud longe inde retracta fuiſſe. Ad id enim, ut reliqua caſtra omnia in his locis inſtituta videntur, ut Rhenum tutum praeſtarent. Niſi forte ea Caſtra intelligenda, quae tum fecit, cum cladem Varianam ulturus, Germaniam penetravit. Sed & ad proxima Rheni loca retrahit haec Caſtra vicinitas Praetorii Agrippinae, quod III M. P. Lugduno diſtat, id quod ex Tabula antiqua in Peutingerorum aedibus inventa atque ab Velſero edita perſpicimus. Fuit autem hoc illius Agrippinae Prætorium, quae filia erat Agrippae & Juliae, Uxor Germanici. Illa intra Inſulam Batavorum hanc ſuam villam loco amoeniſſimo, inque gente a vitrico eodemque ſocero domita, ubi propinqua erat Mariti Caſtris, cincta hinc a Batavis gente amiciſſima fidiſſimaque, inde a Gallis ſuis & Oceano tuta inſuper Rheni alveis majoribus minoribuſque multis, quam in Germania ſolo hoſtili, excitare maluit. Haud ignoro, doctiſſimos Viros hoc Praeto-

rium tribuere Agrippinae alii, filiae scilicet illius & Matri Neronis; credo, quod haec Agrippinensem coloniam in Ubios deduxit, quae adhuc celebre Coloniae nomen ad Rhenum tenet, de qua Tacitus Annalium libro XVII. cap. 27. Sed multa sunt, quae me in diversam sententiam inpellunt alias proferenda. Notum est autem, quam amans prior Agrippina fuerit Mariti, & quantopere sese militibus jactarit, vide Tacitum Annalium libro I. cap. 33. & 69. ut adeo in loco, & Marito & Castris proximo, morari voluerit. Miratus autem sum saepe, qui factum sit, ut Viri excellenti doctrina & in rebus exteris diligentia, ea, quae ad patriam pertinent, tam negligenter egerint, & quocunque levis suspicio priores inpulerat, id mox pro vero arripuerint & adseverarint. Quorum in numero utique sunt illi censendi, qui Praetorium hoc Armamentarium esse scripserunt, cujus mentio in antiquissimo lapide, quem produxit Junius in Historia Bataviae cap. 10. Sed male Brittenburgo tribuit, ut docuit Scriverius in Tabulario atque ex eo alii; vide supra cap. I. Et qualis tibi videtur illa Cl. Altingii conjectura, quam illo in loco proponit, ubi hoc Praetorium Agrippinae describit in Notitia Germaniae inferioris parte I. pag. 111? *Atque hinc*, inquit, *haud vana conjectura, idem illud Praetorium Agrippinae post Augustae domus interitum in Armamentarium fuisse conversum.* Quod ergo Tiberii, sive ut ille existimat, Claudii temporibus Agrippinae Praetorium fuit, hoc Severi tempore Armamentarium est factum nominatumque, Theodosii vero aetate, qua confecta creditur illa tabula, & certe diutius Augusti domus perierat, quam Severi saeculo, rursus Agrippinae Praetorium esse coepit.

Mitto alia & potius ad Britannicam revertor. Ea autem cum in Frisia inter Septentrionalia Rheni ostia reperta sit, certum est, illam haud longe a Brittenburgo natam fuisse, & si vera est conjectura, quam supra dixi, Castra illa Germanici non procul a Rheno fuisse collocata, verisimile est, herbam illam nec non locum Britannorum, qui herbae istic natae nomen dedit, Rheno proximum fuisse & Brittenburgo. Hoc si verum est, utique porro suspicari licet, Britannos, a quibus Brittenburgo nomen est datum, utramque Ostii Rhenani ripam tenuisse. Verum quanquam haec probabili ratione ita disputantur, nullum tamen periculum fit sententiae nostrae, qua a Britannis Frisiam illam incolentibus, Britannicam dictam opinamur, si quis in remotioribus a Rheno locis, Castra Germanici fuisse,

se, & herbam illic inventam doceat. Multa enim ad Oceanum loca Galliae & Germaniae, Insulae suae opposita, Britannos insedisse putamus, & forte inde nomen *Berte* & *Cappelberte* oppidis aut pagis ad Amisiam, ex quibus hic Dullarti undis haustus pridem subsidit, vide Ubbonem Emmium rerum Frisicarum libro XV. pag. 222. memoratur & *Berdum* id est *Bertheim*, in Frisia Orientali, qua Harlingensis Regio est inter Amisiam & Jadam amnes, quae appellatio parum, imo nil fere discrepat a Berthemo Clivensis Ducatus pago, cui nomen Britti sive Britanni Incolae inposuerunt, ut superiore capite ostendi. Ad Amisiam autem inque locis Amisiae proximis habuisse Castra Germanicum Caesarem, ambigi non potest. Tu vide, quae Tacitus Annalium libro I. cap. 60. & 63. & libro II. cap. 23. Quin & loca paludosa, quae hodie *Bourtange* dicuntur, Amisiae & Dullarto vicina, inter Frisiam, Drentiam & Monasteriensem Dioecesin a Britannis nomen invenisse videntur. Lipsius ad Tacitum Annalium libro I. cap. 63. Britaniae uligines nominat, nostraque lingua *Bretansche Heyde* appellari scribit, atque inde Britannicam herbam appellatam credit, tametsi de Britannorum habitatione in his locis nil cogitasse videtur; imo vero ut a Britannis distinguat, Bretannicam scribi mavult, credo ex Dioscoride περὶ ὕλης ἰατρικῆς libro IV. cap. 2. cum certum sit Graecis per e scribi insulae nomen, a qua consuetudine nec ipsi Britones abeunt, ut ante docui. Quod si & alia loca per hos tractus scrutari libet, haud pauca deprehendemus a Brittis vel Britannis nominata. In his utique memorandus vicus cis Lavicam prope Leovardiam, cui *Britzum* nomen est: & ne de origine dubites, ejusdem nominis vicum in Britannia Insula superesse cognovi. Quandoquidem autem Britanni per has oras sparsim habitasse inveniuntur, dubitavi aliquando an hinc explicandus auctor Historiae Landgraviatus Thuringiae, cum Thuringos in Anglia, Britannia & Frisia a mari expulsos scribit. Angliam namque Britanniamque insulanam aut transmarinam hoc loco non intelligi, sed eam quae in Saxonia fuit, unde & Angli Insulani originem ducunt, quisque videt. Adderem etiam hoc loco, quod Auctor Chronici magni Belgii Hunnorum Historiam memorans, Brittones interpretatur Frisones; & quae porro Jacobus Eyndius in Chronico Zelandiae cap. XVII. aliique rerum Batavicarum Scriptores de Britannico littore comminiscuntur: nisi intelligerem, Britannos Insulanos etiam Frisones recte dici; & in Eyndio

 plura

plura refutanda quam probanda reperirem. At vero quum innumera Britannicorum populorum vestigia sunt per Hollandiam & Frisias, quis Hadrianum Junium secutus in Historia Bataviae cap. XV. pag. 366. a voce *Britten*, quam cespites notare scribit, herbam Britannicam repetere velit, ob id quod ea in cespitibus nascitur? Kilianus Dufflaeus quidem in Etymologico Teutonicae linguae vocem *Britte*, *Brutte* Hollandis & Sycambris usitatam scribit, & vertit cespitem vel frustum cespitis. Sed, ut puto, nil haec interpretatio conturbat rationes nostras. Cespes vel cespitis frustum, quod plerumque quadrata forma a gleba resolvitur, ea ratione *Brit* & *Bret* appellamus, qua asserem quemque oblongum quadratumque *een Bret* dicimus, vulgatius tamen hodie est *een Bort*, atque inde *verkeer-Bord*, *uithang-Bord*, *tafel-Bord*, quadram dixerunt Romani, quod quadrata forma erat; non tamen apud Romanos magis, quam Majores nostros. Videmus ergo, non proprium hoc nomen cespitibus dictum, sed multis rebus commune fuisse. In perversam autem de nomine Britannicae opinionem adduxit Junium is error, quod existimavit esse herbam cochleariam, *lepel-bladen* nominamus, quam dicit in aggerum molibus, quae ex cespitibus vallantur, copiose nec alibi temere provenire; quod Frisiae Incolis existimandum relinquo, certe in his regionibus, quas incolo, moles illas ejusmodi herbas ferre non memini. Sed fac cochleariam in aggeribus nasci in Frisia, nil hoc ad Britannicam, quam utique a cochlearia distinguunt color & forma. De Britannica Plinius, *folia habet oblonga & nigra*, *radicem nigram*. & Dioscorides assimilat lapatho sylvestri libro [illegible] cap. 4. quae non nisi ignarissimus de cochlearia dixerit. Addit Plinius florem Britannicae a Frisiis *Vibones* vocari, quae vox hodiedum in his vicinisque terris usurpatur ad significandum calicem vel corticem, ut Plinius nominat, qui sub rosae foliis est, & [illegible] credo quod Britannici flores parili forma fuerunt, [illegible] ret a Cochlearia. Verisimilior hic nominis origine, [illegible] Plinius [illegible] commentus, forte illa nonnullis putabitur, Britannicam a colore *Brit* nominatam esse. Sed [illegible] color id est variegatus, nec herbae nec radici ejus recte apt[illegible] enim [illegible] cognovimus. Unum opponi posse [illegible] opinioni nostrae, qui [illegible] Britannorum eorum, qui habitarunt [illegible] Frisios, & [illegible] quibus Britannicae herbae nomen est inditum, [illegible] Plinius ipse, nec Scriptores alii meminerint. Verum hic scrupulus nullo negotio eximitur. Nam

Nam ſive Britanni hi Rheni medii oſtium tenuerunt, iidemque ſunt illis, unde Brittenburgus nomen accepit, ſive diverſi, ultra Flevum egerunt, numero illi tam pauci fuiſſe videntur minutique per nationes alias diſperſi, ut gentem peculiarem aut populum Scriptoribus memorandam non effecerint: quare & multis ignorati fuerunt; imo miſti tandem Friſiis aliiſque populis, in quorum terra conſederunt, nomen & origo paullatim periit, manente tamen nonnullorum locorum & herbae nomine, quam quia primi oſtenderant, in ſuo, quem habitarunt, aut primo loco inventam, vicini omnes illorum nomine ſignarunt. Quo fato autem ad has terras, ut & in Germaniam reliquam Galliaſque devenerint Britanni, deinceps a me exponetur.

CAPUT V.

Alius Plinii locus examinatur. Adverſus Philippum Cluverium antiqua Plinii lectio adſeritur. Male Critici populum & locum delent, uni tantum Scriptori memoratum. Quanta Plinii fides in rebus Germanicis. Multarum Gentium migrationes ignorantur, ut Gallorum ſingulorum in Italiam, Germanorum in Galliam. Nominum ſimilitudo eaſdem Gentes in diverſis terris prodit. Tungrorum ſedes in Velavia, Zutphania & Trăſiſalania adverſus Cluverium demonſtrantur. Britanni in Gallia habitarunt. Male Cluverius inde Briannos *procudit. Trajectus a Geſſoriaco in Britanniam omnium, ex continenti in Inſulam, breviſſimus Cluverii & aliorum audacia perſtringitur in ſubmovendis populis antiquis. Chauci in Friſia ad Rhenum. Britannorum habitatio in montibus Hanoniae.*

QUandoquidem autem de iis Britannis diximus, qui ultra Rhenum in Germania degebant, ſecundum nunc eſt, ut ad eos nos convertamus, qui cis illum amnem habitarunt, id eſt in Gallia, Galliam namque & Germaniam Rhenus limes determinavit, redituri deinceps ad Britannos eos, qui Rheni oſtium habuerunt; quorum

po-

potissimum caussa hanc disputationem instituimus. Littus autem Oceani lustrantibus primo loco occurrunt Britanni pago Gessoriaco atque Ambianis vicini. Horum memoriam idem Plinius servavit, qui & sedem ita describit libro IV. Naturalis Historiae cap. 17. *A Scaldi incolunt extra Toxandri, pluribus nominibus. Deinde Menapii, Morini, Oromansaci, juncti pago, qui Gessoriacus vocatur,* B R I T T A N N I, *Ambiani, Bellovaci, Hassi.* In littore hos Britannos habitasse, aut certe non procul a littore ex populorum situ, qui iis junguntur, conjicere licet, quorum sedes non incertae sunt, quae in Picardia proximisque Picardiae provinciis esse cognoscuntur. Verum gravem hic adversarium nactus sum Philippum Cluverium, qui in Germania antiqua libro II. cap. 27. non Britannos hic commemorari putat, sed Briannos. Verum expendamus Viri rationes. *Ceterum*, inquit, *pro Briannis vulgata exemplaria habent* Britannos, *unde quidam arbitrantur, hos e Britannia in hoc littus transmigrasse. Verum hujus rei quia nullum apud rerum Auctores indicium aut vestigium, haud temere eorum sententiae accesserim. Nam ante Caesarem, sive ipsius Caesaris tempore nullos heic fuisse Britannos facile e commentariis ejus perspicitur. Quod si fuissent, haud dubie de horum quoque e Britannia in Belgicam transmigratione meminisset commentariorum libro V. Ubi quorundam Belgarum in Britanniam transgressum memorat. Post Caesarem vero, si vel Claudius vel alius Imperatorum traduxisset, certe non minus de his in monumenta relatum fuisset, quam de Ubiis, Sicambris, Cattis & Sarmatis in Galliam traductis. Et Tacitus quoque in vita Agricolae, ubi in Britannorum originem disquirit, horum haud dubie meminisset. Veri similius igitur est, populos hos partem fuisse Atrebatium, nomine Briannos, ex quo vocabulo, & Gentis e regione Britanniae situ scioli quidam finxerunt Britannos.* Quanquam hodie plus otii mihi accidit, eo tamen non ita abundo, ut singula, quae aliena in his a sententia mea sunt, aut refutem aut tangam. Julii Caesaris tempore, si Cluverio fides, in ora Gallica Britanni nulli fuerunt, non etiam tempore Claudii; non aliam ob rationem, nisi quia eorum non Caesar meminit, non Tacitus, non etiam Claudius traduxit. Haec ratio si valet, necesse est, Britannos omnes ex omni Gallia atque Germania iisque locis expellamus, in quae eos cum aliorum Scriptorum auctoritate, tum iis indiciis, quae in rebus antiquioribus persuadere solent, reduximus atque adseruimus. Imo si

omnes

omnes proscribendi sunt populi, quorum illi Scriptores non meminerunt, aut qui traducti non leguntur: quanta pars nobilissimorum populorum, imo gentium etiam atque nationum peribit? Aut si Plinio fides deroganda in iis Germaniae Galliaeque populis recensendis, quos alii omiserunt, & praesertim Caesar, Tacitusque praeterierunt, heu quanta populorum clades fiet! Atque ut de aliis non dicam, ex uno hoc capite, in quo Britannos Gallicanos memorat, quot deleti interibunt! Mitto Julium Caesarem & Tacitum, ecquis aliorum Geographorum aut Historicorum antiquorum praeter Plinium, in iisdem Galliae locis commemoravit *Oromansacos*, *Hassos*, *Castologos*, *Ulbanectes*, *Rinucios*, *Frisiabones*, quos simul cum Britannis ignoratos aliis Scriptoribus in eodem capite conjunxit Plinius? Et tamen nec ipse Cluverius aut alius quispiam recentiorum Geographorum aut nomina aut loca eorum immutare ausus est. Nolim autem mihi aliquis hic Plinii dubiam fidem objiciat. Non quidem nego, lapsum eum crebro, ut in opere immenso, vario & multiplici; potissimum tamen in iis eum offendisse intelligimus, quae aliorum fide & narratione tradidit. Hos autem Populos Galliae indictos aliis cognovisse eum & peragrasse putem illo tempore, cum in vicina Germania, quae ad Scaldim amnem usque porrigebatur, militaret. Ut autem incredibili fuit animadvertendi quaeque industria, ita non mirandum, si de locis, quae adiit, diligentius ea commemoret, quae alii neglexerunt & praeterierunt. Similiter invalidum est illud argumentum Cluverii, quod ducit a silentio Scriptorum Veterum, de Britannorum horum, ex Insula in Galliam, trajectu. Quia namque Veterum nemo narravit, quo tempore hi Britanni ex Insula sua egressi sedes in Gallia occuparint, ideo ex Insula egressos & in Gallia sedes occupasse negat. Sed vicissim peto a Cluverio, ut singulorum populorum, qui ex Gallia superatis Alpibus in Italiam, aut ex Germania transmisso Rheno in Galliam transgressi sunt, migrationes & tempora migrationum doceat. Italiam namque inde ab Alpibus ad Ancona usque & ultra etiam, Galli insederunt. Oram autem sive ripam Rheni Gallicam a fontibus ad Oceanum Germani. Innumeri in utraque terra populi sunt, alii aliis dicti, pauci omnibus. Pauci ex aliis terris eo traducti aut sponte commeasse a Scriptoribus memorantur, multo minus tempus adjicitur, quo illuc devenerunt; & tamen singulos ex aliis terris devenisse, & eo migrasse constat, atque ut Galliae Cisalpinae, ita Ger-

 maniae

maniae Cisrhenanae, sive superiori & inferiori, nomen dedisse. Tametsi ergo veterum Scriptorum monumentis de migratione populi alicujus nihil proditum est, ex nominis tamen similitudine & locorum vicinitate eam arguere atque intelligere licet, ipsique Scriptores veteres inde eam haud raro arguerunt. Exemplorum magna vis est apud Herodotum, Strabonem, Diodorum Siculum. Ipse quoque Poetarum Latinorum sapientissimus Anchisen inducit Aeneidos libro III. ex iisdem locorum nominibus Gentis Phrygiae Origines a Cretensibus repetere, ita namque v. 105.

Mons Idaeus ubi, & gentis cunabula nostrae.

& 111.

Hinc Mater Cultrix Cybele, Corybantiaque aera,
Idaeumque nemus: hinc fida silentia sacris,
Et juncti currum dominae subiere leones.

Eadem sane ratio dudum nos inpulit, quantumvis invito iterum Cluverio, Antiquae Germaniae libro II. cap. 20. ut Tungrorum sedes & nomen in Germania Transrhenana antiquissimis temporibus, & ante Julii Caesaris in Galliam expeditionem fuisse opinemur, quia hodiedum istic superest; vicique & praedia per Velaviam, Zutphaniam Transisalaniamque, fatentur.

Sed ad Britannos redimus Gessoriaco proximos, atque ad Cluverii de iis sententiam. Quod si autem Cluverius non perfert in illo loco, in quo Plinius Britannos recenset, populum, nisi aliis Scriptoribus memoratum, unde, quaeso, suos Briannos repetet? Quem eorum Auctorem dabit? Nullus enim mortalium, si a Cluverio discesseris, eorum unquam nomen protulit. Quod si ergo verisimilitudine disputandum, quae in rebus antiquis tantum, quantum ipsa veritas, valet; quid, quaeso, majorem fidem habet, cum certum sit, Britannos multa loca Germaniae, nonnulla Galliae incoluisse; Briannos ignoratum omnibus populum, an Britannos, ad Gessoriacum, atque in ultima Galliae ora, quae exiguo freto ab insula sua distinguitur, habitasse? Hoc sane, nisi multum fallor, illa Cluverii opinione non tantum verisimilius, sed verissimum etiam videbitur. Omnem enim Britanniam si circumnaviges, continenti eam nullibi propiorem reperies, quam ad Gessoriacum, inde Caesar Trajectum hunc brevissimum scribit in Commentariis belli Gallici libro IV. cap.

5. &

5. & commodissimum libro V. cap. 1. Proximum Plinius libro IV. cap. 16. Iccius autem Portus idemne sit Gessoriaco praeclaris Viris Cluverio, Chifletio, Somnero disputatum memini, nec hujus loci est a nobis inquiri. Hoc scimus Gessoriaco Claudium Imperatorem in Britanniam, cum bellum in eam transferret, transmisisse, vide Suetonium in Claudio cap. XVII. & videri hunc portum Morinorum Britannicum dici a Plinio libro I. cap. 23. Quod si ergo in alias terras longinquiores quacunque tandem de caussa (de caussis autem migrationis mox disceptabitur) nonnulli Britanni ultra Oceanum novas sedes quaesitum ierunt; quanto credibilius est, exiguum hoc fretum eos superasse, atque in proximo Patriae suae loco consedisse, collectaque istic semel paullatimque multitudine Plinio diligentissimo Scriptori, cum hujus regionis locos populosque accuratius, quam ceteri Geographi recenseret, occasionem dedisse, sui quoque mentionem injiciendi? Atque ut libere dicam, quae sentio; Nequaquam mihi probatur eorum Virorum institutum, qui urbes, Gentes & Populos ab uno tantum Scriptore memoratos, eliminandos ac delendos praecipiunt, ob id solum, quod ab aliis praeteriti & memorati non sunt. Datum illud fortasse est magnis Viris & Heroibus, ut Herculeo ausu prosternant omnia & conficiant, quae morantur, nobis pusillis ignoscant, si religioni ducimus hoc modo ad Laudem grassari. Ignoscant etiam Magni Cluverii manes, si Chaucos, Sturios, Frisaevones in sedibus a Plinio adsignatis, retinendos contendimus, unde eos Cluverius vi armata & nullo jure deturbare adnititur. Chaucos quidem ad Rheni ~~ostium~~ medium *alveum etiam Peutingerorum tabula collocat. Sed illud huc non pertinet. Non omittendi vero hoc loco montes sunt in Hannonia, quae Belgii regio est, Picardiae finitima, in qua similiter montes BRETTEN nomine ab Incolis dicti celebrantur. Fertur autem fama, & tenet eruditos Viros opinio, a Britannis eos dictos fuisse, ut testatur Camdenus in Insulis Britanniae.

CAPUT VI.

Britannorum crebrae migrationes ex Insula. an omnes navibus corio consutis usi? male hoc Solinus de Britannis omni-

bus tradidit. De Insula Micli. Antiquissimis temporibus homines plures ex Insula in continentem, quam ex hac in Insulam trajecerunt. Ellendig, id est Insulanus. Galli vetustissimi in Britanniam non commigrarunt: Gallorum & Cimbrorum expeditioni in Galliam & Graeciam an Britanni interfuerint? Britomarus, Britannus an Boius fuerit. Quae caussae Britannos adegerint novas habitationes extra Insulam quaerere. In his caussis memorantur. 1. *infinita hominum multitudo in Britannia.* 2. *Bellorum cupiditas.* 3. *Matrimoniorum foecunditas promiscua Venere.* 4. *Agri inculti.* 5. *Regum & Principum multitudo & continua dissidia atque in vicinos latrocinia. Bunduica Regina bellatrix. Romani a seditiosis Britannis in Insulam vocati. Caesar a Trinobantibus, a Berico Claudius. Regulus Hibernia expulsus ab Agricola. Adminius Britannia ejectus, a Caligula est exceptus. Exigua Britannorum manus cum Adminio in Batavorum Insulam ad Caligulam venit. Minuti populi Britannia egressi, & majoribus Gentibus in Gallia Germaniaque misti nomen suum amiserunt. Expeditio Saxonum & Anglorum, horumque in Galliam fuga paene praetermissa Scriptoribus Romanis & Graecis. Procopii inperitia in rebus Britannicis notata. An loca extra Insulam a Britannorum Castris nomen acceperint? in quibus terris militarint Britanni? Urbs* Passau *a Batavorum Castris dicta.* Breucomago *ad Rhenum an a Breucorum cohorte nomen? Hiberna hujus Cohortis ad illum fluvium. Monumenta antiqua illustrata & emendata.* O *distinctionis caussa additum in lapidibus vetustis. Brittonum Cohors in Bavaria & Carinthia. Inscriptio emendata a Gudio prolata. iterum lapis expositus. Sententia Scaligeri, Gudii, Reinesii, Keysleri inprobatur.*

tur. Ordovices *Britanniae Populus. eorum ſedes demonſtrantur.* Brigantes *in variis terris.* Brittium *Luſitaniae. Inſula* Brettotia, *quae amnem* Brettium *habet. Urbs* Brettus.

POſteaquam oſtendimus ex locorum nominibus aliiſque argumentis, Britannos aliquot extra Inſulam atque Oceanum inhabitaſſe regiones, convenit, ut doceamus, migrationem hanc in alias terras ab eorum inſtitutis alienam non fuiſſe. Ut autem populi ſeptentrionales omnes ſive inteſtinis & domeſticis ſeditionibus vicinorumque injuriis & armis ejecti, ſive fame & rerum inopia, aut urgente multitudine compulſi, ſive melioris terrae deſiderio commoti, ſive tandem quacunque de cauſſa, vide Strabonem libro VII. pag. 291. ſedes ſuas crebro mutarunt; ita etiam Britanniae Incolae haud raro iiſdem cauſſis adacti novam Patriam extra Inſulam ſuam quaeſiverunt. Navibus uſi ſunt, ſi Julio Solino fides, ex viminibus & boum tergoribus confectis. De quibus ille haec cap. XXII. *Navigant autem vimineis alveis, quos circumdant ambitione tergorum bubulorum.* Solinus haec, ut pleraque accepit a Plinio, qui libro IV. cap. 16. fide Timaei Graeci hominis & rerum Britannicarum parum gnari refert. Neque tamen Plinius omnes Britannos ejuſmodi navigiis uſos dicit, ſed eos tantum memorat, qui Mictim inſulam petebant. *Timaeus*, inquit, *Hiſtoricus a Britannia introrſus ſex dierum navigatione abeſſe dicit inſulam Mictim, in qua candidum Plumbum proveniat. Ad eam Britannos vitilibus navigiis corio circumſutis navigare.* Exiſtimarim autem, firmioribus navibus eos in Galliam & Germaniam trajeciſſe. Non nego, ab iis qui Britannorum res moreſque ſcriptis mandarunt, primaſque ejus Inſulae Origines ſunt perſcrutati, plures memorari, qui ex vicinis populis atque e continente in eam Inſulam commigrarunt, quam qui inde in continentem trajecerunt. Sed & nemo, ut puto, ibit inficias, cum ante Julium Caeſarem ignota Romanis Inſula a Claudio Imperatore aperta, a Julio Agricola auſpiciis Domitiani, & a Septimio Severo domita demum, penetrata & prorſus perſpecta ſit, conjecturis ea ac ſuſpicionibus niti, quaecunque de rebus Britannorum ante haec tempora geſtis feruntur. Nam cum acciperent ejuſdem nominis populos in Inſula,

 quos

quos extra Insulam cognoverant, in opinionem mox venerunt, eos ex continente terra in Insulam delatos, quum probabilius sit, ex hac in illam plures & lubentius homines profectos. Ingenium namque mortalium abhorret a mari, neque id experienbatur olim, nisi premente necessitate quae in Gallis nulla, in Britannis multa fuit. Abhorrebant etiam prisci mortales eadem ratione ab Insulis, quarum Incolas *ellendige* a priscis Germanis Gallisque appellatos arbitror, quae vox nunc miseros atque aerumnosos adsignificat. Antiquissimarum autem rerum Britannicarum memoriam Drysidas sive Druidas sanctissimos Britannorum Gallorumque Sacerdotes, conservasse puto, qui teste Ammiano Marcellino libro XV. cap. 9. ab exteris *insulis* in Galliam populos venisse prodiderunt: exteras autem Insulas has Britannicas esse, ratio ipsa monet. Nulla autem caussa adegit Gallos quantumvis proclives ad solum vertendum, cur truci pelago vitam committerent, quum omnis iis Europa antiquioribus temporibus pateret, laetissimaeque regiones Italia atque Hispania in proximo invitarent, quas & frequentes praesertim Italiam dudum ante Caesaris in Galliam adventum occuparunt. Imo si vera sunt, quae Camdenus de Britannia pag. 34. ex Scriptoribus priscis docet, Britanni permisti fuerunt Gallis & Cimbris, qui egressi e Patria Italiam Graeciamque vastarunt, quorum illi ipsam etiam Asiam sunt ingressi & ad Pontum Euxinum sedes fixerunt, de quibus Justinus libro XXXII. cap. 3. Idem quoque Camdenus Britomarum Insubrum Regem, de quo Florus libro II. cap. 4. Britonem fuisse dicit, quem tamen M. Velserus Annalium Bojorum libro I. cap. 18. & 19. Bojis suis vindicat. Uter verius alii judicent, equidem hoc Gentis & Patriae studio dandum censeo, quod etiam, cum nimium est, crimine caret. Quae autem caussae ac necessitates Gallos in alias terras expulerunt, eaedem Britannos in Galliam aliasque vicinas regiones, id est, Bataviam Frisiamque adegerunt. In his est hominum infinita multitudo, de qua Caesar in Bello Gallico libro V. cap. 12. Dicit quidem, eam multitudinem potissimum Belgarum esse, sed quum praedae ac belli inferendi caussa ex Belgio in Insulam illi transierant, intelligimus, Britannos αὐτόχθονας (tales in Insula fuisse docet Caesar eodem cap. 12.) ex his sedibus ejectos, coactos fuisse novas terras habitandas quaerere, & quum vicina Gallia Germaniaque loca vacua praeberet, eo nonnullos trajecisse testatur quoque ipse Caesar libro IV. cap. 20. Gallis crebra auxilia ex Britannia missa fuisse, quum ipse in

Gal-

Gallia Bellum gereret, imo eam sibi caussam expeditionis in illam Insulam fuisse scribit. Adde his matrimoniorum foecunditatem, non quae hodie est hac morum sanctitate, sed quae olim fuit, vaga paene & promiscua Venere, de qua Dion Cassius libro LXXVI. pag. 866. ταῖς γυναιξὶν ἐπικοίνοις χρώμενοι, καὶ τὰ γεννώμενα πάντα ἐκτρέφοντες. *Utuntur promiscuis Uxoribus, & quidquid ex iis nascitur alunt.* Hunc sequitur, ut solet, Joannes Zonaras Annalium libro XII. cap. 10. Qui autem fieri potuit, ut una Insula quantumvis magna, tantorum annorum sobolem caperet, aut si cepit, aleret ac sustentaret? praesertim quum prisci illi Britanni, qui interiora habitabant, atque e Gallia non advenerant, terram negligentius coluisse aut frumenta sevisse dicantur. Caesar cap. 14. *Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte & carne vivunt.* De iisdem Dion μήτε τείχη μήτε πόλεις, μήτε γεωργίας ἔχοντες, ἀλλ' ἔκ τε νομῆς καὶ θήρας ἀκροδρύων τέ τινων ζῶντες. *Nec habent moenia nec urbes, nec agros colunt, sed & pastura & venatione fructibusque nonnullarum arborum victitant.* Neque aliter Zonaras. Imo quod Procopius de sua aetate, id crebro ante factitatum opinor, qui de bello Gothico libro IV. cap. 20. τοσαύτη δὲ ἡ τῶν ἐθνῶν πολυανθρωπία φαίνεται οὖσα, ὥστε ἀνὰ πᾶν ἔτος κατὰ πολλοὺς ἐνθένδε μετανιστάμενοι ξὺν ταῖς γυναιξὶ καὶ παισὶν, ἐς Φράγγους χωροῦσιν. Οἱ δὲ αὐτοὺς ἐνοικίζουσιν -- γῆς τῆς σφετέρας τὴν ἐρημοτέρον δοκοῦσαν εἶναι. *Tanto hominum numero gentes abundant, ut inde singulis annis non pauci cum uxoribus migrent ad Francos, qui in suo ditionis solo, quod desertius videtur, sedes illis adscribunt.* Procopii autem aetate Franci in Gallia habitabant. Adde porro minuta imperia, eaque quae plurimis, id est a populo, non ab Rege gubernabantur, & quotidiana in vicinis latrocinia. Consule praeter eos, quos modo nominavi Tacitum, in vita Julii Agricolae cap. XII. ubi de Britannis. *Olim regibus parebant, nunc per Principes factionibus & studiis trahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve Civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus, ita dum singuli pugnant, universi vincuntur.* Pomponius Mela quoque libro III. cap. 6. *caussas autem* inquit *& bella contrahunt, ac se frequenter invicem infestant, maxime imperitandi cupidine, studioque ea prolatandi, quae possident.* Inde Bunduica in ea oratione apud Dionem libro LXII. cap. 703. qua Britannos suos ad arma Romanis inferenda cohortatur, dicit, se Britannis imperare, qui non agros colere, non artes tractare,

sed

sed bella gerere optime didicerunt γεωργεῖν μὲν ἢ δημιουργεῖν οὐκ εἰδότων, πολεμεῖν δ' ἀκριβῶς μεμαθηκότων. Victus si victori servire nolebat, quae crebro ut in Gente praeferoce, contumacia, Patriam relinquebat, Insula excedebat. Tanto autem promtius sedes suas migrabant, quod eos tectorum & cultus expertes facile quaevis terra alebat, quare eadem Bunduica ἡμῖν δὲ δὴ πᾶσα μὲν ποία ἢ ῥίζα σιτός ἐστι, πᾶς δὲ χυμὸς ἔλαιον, πᾶν δ' ὕδωρ οἶνος, πᾶν δὲ δένδρον οἰκία. *Nobis autem quaevis herba & radix cibus est, quilibet succus oleum; omnis aqua vinum, omnis arbor domus.* Caesarem quoque jam ante Trinobantes, & Mandubratius adolescens, iniquo Cassivellauni imperio, a quo Imanuentius Mandubratii Pater occisus fuerat, pressi, in Britanniam acciverant, teste ipso Caesare in Commentariis Belli Gallici libro V. cap. 20. Quin a victis ulciscendi caussa in Insulam semper fere Romani evocati videntur. Nam & Dion tradit libro LX. pag. 677. Bericum eadem caussa ex Insula expulsum Claudium Imperatorem Romanum concitasse in Britannos. Tacitus quoque auctor, Regulum ex Hibernia a Domesticis pulsum exceptumque esse ab Agricola. Vivebant autem Hiberni more fere Britannorum, vide in vita Agricolae cap. XXIV. Is Bericus, qui videtur inter suos Princeps fuisse & partium caput, an plures secum ex Insula eduxerit, non mihi liquet; haud obscure tamen id colligitur ex Suetonio, qui in Claud. cap. 17. scribit tumultuatum eo tempore fuisse ob non redditos a Romanis *transfugas;* sed de Adminio Cinobellini Britannorum Regis filio id diserte affirmat Suetonius in Caligula cap. XLIV. *Nihil autem amplius, quam Adminio Cinobellini Britannorum Regis filio, qui pulsus a patre cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto.* Transfugerat autem ille ex Britannorum Insula ad Caligulam, morantem eo tempore in Batavorum Insula, a quo & una cum comitibus fugae locum in ea regione habitandum accepit, ut postea demonstrabimus. Paullus Orosius Historiarum libro VII. cap. 5. scribit, oberrasse hunc Adminium. Unde suspicari licet, errasse eum ad novas sedes quaerendas ante extra Insulam atque in Galliis, quam certum locum & fixam habitationem a Caligula accepit.

Sed hoc prae ceteris observari velim, exiguam manum Britannorum fuisse, quae cum Rege suo Adminio relicta Patria in Bataviam venit. Manum hanc exiguam unius populi fuisse, [illegible] δυναστείας, ut Strabo nominat, cujusmodi δυναστεῖαι in hac Gente complures fuerunt. Quae paucitas ad exteras Nationes, Galliam, Ger-

mano-

manorumque delata vix ullo numero fuit, & a multis Geographis neglecta est. Quam sane caussam opinamur, cur raro atque a paucis trajectus Britannorum in alias terras & sedes memorentur. Verum quid miramur paucorum egressum ex Insula silentio esse praetermissum a Scriptoribus Romanis Graecisque? Quum ex utrisque vix unus sit, qui plene Anglorum Saxonumque irruptionem & dominationem, secutamque inde Britannorum fugam in Galliam commemoret? Neque autem exigua Britannorum manus fuit, quae exosa exterorum tyrannidem illa tempestate Insulam suam reliquit & novas in Gallia sedes quaesivit; occupavit namque quidquid terrarum ad Ligerim Oceanumque amplissime patet, & hodie Britanniae minoris nomine in Francia designatur. Certe Zosimus, Zonaras, Theophanes, Cedrenus quique alii sunt nobilissimi per haec proximaque tempora, quibus illa migratio accidit, Historici eam praeterierunt. Procopius autem usque adeo rerum Britannicarum ignarus fuit, ut, cum alios populos in Britannia vel Brittia ex scriptis sui superiorisve saeculi, aut ex sermonibus aliorum cognovisset, quam antiquioribus Scriptoribus in ea Insula memorantur, Anglos nempe Saxones aliosque; Hos non veteris Britanniae sed alterius Insulae incolas existimarit. Sed de Procopii Brittia mox dicendi locus erit.

Quae usque adhuc disputata sunt a me, eo potissimum spectarunt, ut docerem Britannos ex Insula profligos, aut sponte melioris terrae fortunaeque spe egressos sedes per Galliam Germaniamque cepisse, iisque nomen suum inposuisse. Adseverare tamen non ausim, nulla omnino in Germania aut Gallia loca esse, tametsi usque adhuc nulla mihi cognita sunt, quae aliunde a Brittis vel Britannis nomen acceperint originemque trahant. Potuit namque fieri, ut a Cohortibus Alisve Britannorum, quae inter Romanorum auxilia stipendia fecerunt, iis nomen haeserit. Soliti enim Romani copias ex Provincialibus conscriptas militiae jure in diversas nonnunquam terras mittere, idque deflet Civilis Batavus apud Tacitum Annalium libro IV. cap. 14. *Instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus, velut supremum dividantur.* Quin Brittones in notitia Imperii sub dispositione illustris Magistri militum per Illyricum, item sub dispositione Viri spectabilis Ducis Thebaidos recensentur, & cum Viro illustri Magistro Equitum Galliarum intra Gallias, quin & in Hispania aliisque in locis militasse memorantur, haud aliter ac Batavi, qui in quascunque terras fuerunt abducti, cer-

te nobilissimae urbi in Vindelicia nomen fecerunt. Contra Breucorum Cohors, quae ex Pannonia conscripta Breucomagum, ut nominatur Ptolemaeo, ad hunc Rhenum nostrum condidit. Hoc sane vellim, si per Ammianum Marcellinum & Tabulas Peutingerianas liceret. Illud novimus ex lapide ad Rhenum alicubi eruto (locum ipsum nescio, neque eum significavit Mercator, ex quo descripsit Gruterus pag. DLX. n. 2.) Breucorum Cohortem hiberna ad hunc fluvium habuisse

SASAIVS LIÇAI
F MILES EX COH
VIII. BREVCORVM
ANN. XXXII STIP XII
H. S. F. H. T. F.

Addimus huic alterum, quem in Agro Bergendalensi ad Cliviam ipsi descripsimus

MARCINVS SVR
CONIS F BREVCV
MIL. EX COH. VIII
BREVC. ANN. XXXV.
STIP. XII. H. S. E.

Dabimus dein & alium, digna enim res, quae de integro agatur. Unam tantum nunc Inscriptionem inde restituo, ex sponio in Miscellaneis eruditae Antiquitatis pag. 164.

. . CAM. CELSO
AED. PLEB. CERIAL. Q. ADLECT. IN
SENATVS ORDINEM AB DIVO
NERVA TRAIANO AVG. GERMANICO DACICO
PRAEF. COH. BREVCOT. MVNICIPIO SVO
ALBA POMPEIA PATRONO COLONIARVM
MVNICIPIORVM ALBAE POMPEIAE
AVG. BAGIENNORVM
. . . ENS GENVENS. AQVENS. STATIEL.

In

In versu 5 legendum BREVCOR. & si quid ultra tentare licet, legerem non MUNICIPIO, sed MUNICIPI. Vidi saxa in quibus littera O distinctionis notam habebat, an idem hoc loco in lapide habeat, illis, quibus hujus copia fuit, aut etiam nunc est, existimandum relinquo. Imo & alteram adjungo, quae hoc ipso temporis articulo mihi cognoscitur ex Gudii inscriptionibus ab Hesselio curatis, in illis autem pag. CXIX. n. 2.

M. CAMPANIO
M. FIL. M. NEP. FAL.
MARCVLO
PROC. . . . STOR
AD. ME. . . RIVM
ALEXANDRIAE PROC
PROVINC. CYPRI
PRAEF. EQ. ALAE PARTH
TRIB. COH. PR. HEMESEN
PRAEF. COH. III. BREVICO. P.
. . . . NCIA. CYPRO

Sollicitum habuit Gudium, ut ex hujus Epistola IV. perspicimus atque ex praefatione Inscriptionum pag. IV. unde intelligimus etiam versum 10. legi BREVCOP, quod velim mutes in BREVCOR. Sed idem hoc animadversum video illi, qui Indici eorum, qui ad rem militarem & bellicam pertinent in voce COH. III. haec adjecit BREUCOR. *Sicuti nonnullis ex Inscriptionibus reperietis.* De Breucis monuit Plinius libro III. cap. 25. Brittonum Cohortem in Bavaria reperio apud Gruterum pag. XXIV. n. 2. & in oppido Carinthiae idem pag. CIII. n. 13. ubi CHOR. I. FL. BRIT., unde emendo titulum lapidis, quem Gudius acceperat a Bonifacio, editus est novissime in Inscriptionibus hujus pagi CLXXV. 1. ubi FE. BRITTON. Sed dudum eundem ediderat Reinesius Classe VI. n. 128. qui & eum recte atque ex sententia nostra descripsit. Est autem FLAVIA BRITTONUM posterior etiam vox tanquam insueta notata, apposito vocabulo *sic*, credo quod BRITANNICAE Auctor substituendum putavit, ut & Auctor Indicis Regionum hic legit, sed facile caremus hoc indicio. Ad Viennam Galliae quoque ALA I. FLA. BRIT. exhibetur a Grutero pag. DXLI.

n. 8. & DXLII. n. 7. Quin *ordinem Brittonum* nonnulli sese invenisse ferunt ad Coloniam Agrippinensem, ibi certe erutus lapis, cujus haecest Inscriptio.

IN H DD
DIABVS
MALVISIS
ET SILVANO
AVR. VERE
CVNDVS
ORD. BRITO
V. S. L. M.

Hanc ob oculos ponit Gruterus pag. XCI. n. 6. Keyslerus in Antiquitatibus Selectis Septentrionalibus pag. 438. legit non ORD. in versu 3. sed ORDO. additque conjecturas Auctoris Indicis Gruteriani, Gudii & Reinesii, quas ibi legi malim, nulla enim harum placet, sed ORD. vel ORDO hic Ordovicem notat. Non autem incelebre fuit Ordovicum in Britannia nomen, vide Tacitum Annalium libro XII. cap. 33. & in vita Agricolae cap. 18. Ptolemaeus eos ad Oceanum Hibernicum collocat, inde a Camuloduno & Brigantum terminis ad Ganganorum Promontorium. Camdenus in expositione nominum antiquorum hodie *Northwales* appellari scribit. Possem nunc, si aut tempus aut animus suppeteret, migrationes Britannorum non in Germaniam duntaxat & Galliam, de quibus in superioribus disputavimus, sed & in alias terras & praesertim in Hispaniam persequi & caussas investigare, cur *Brigantum* nomen, quorum terminos in Britannia modo tetigimus, in Hibernia, Vindelicia atque Hispania populis tributum legatur, necnon de *Brittio* Lusitanorum inquirere, Originemque ad Britannos referre. Possem etiam de *Brettotia* Hadriatici Maris insula & fluvio ejus *Brettio*, nec non de urbe *Bretto*, de quibus Stephanus Byzantinus, & Brixia, quam Pontus Heuterus Praepositus Arnhemiensis de veterum ac sui saeculi Belgio libro I. cap. 3. a *Britten* Incola Insulae Britanniae derivat, nonnulla in medium proferre: Ad extremum liceret etiam ex similitudine nominum populorum in Gallia, Germania, Britannia sententiam meam munire, sed quia haec rei disputationem longiorem requirunt, in praesenti ea mihi praetereunda censeo.

CA-

CAPUT VII.

Hugonis Grotii & Cluverii sententia rejecta. Brittia *Procopii non in Batavia quaerenda. De ea Procopii locus ad examen revocatur. Quam Britanniam dicit Procopius, alii Scriptores Hiberniam nominant; quam Brittiam; alii Britanniam. Hibernia ad solem occidentem posita, idque Geographorum vetustorum testimoniis probatur. Olivarii error perstringitur. Hiberniae etymon ex Isidoro. Quomodo Britanniae sive Albioni Insulae conveniant, quae de Brittia Procopius. Britannia Rheni ostiis objecta. Media inter Hiberniam & Thulen. Procopii error de Thule, quam Scandinaviam opinatus est. Interpres Latinus Procopii notatus. Veteres Geographi non ex Coeli cardinibus, sed ex Patria sua aut loco, in quo scribunt, regionum situm aestimant. Britannia, non etiam Rhenolandia, habitata aliquando a tribus nationibus, Brittonibus, Anglis & Frisonibus. Frisones etiam Saxones. Saxonum in Britanniam trajectus memorabilis. Franci Galliam occuparunt. In vacuas illorum possessiones inter Amasin & Rhenum ad Oceanum venerunt Saxones. Saxonis Grammatici fides aliis posthabita. Littus Saxonicum longo tractu per Galliam procurrit. Cui qui praefuerint. Stoke & Colinus* Chronicorum Rhythmicorum Scriptores *laudantur. Terra inde a Neomago urbe usque ad Oceanum Saxonia inferior dicta. Saxonibus misti Frisii in Britanniam trajecerunt. Horsus & Hengistus origine Frisii a nonnullis censentur. Colinus emendatur & exponitur. Saxones Frisiorum terras occuparunt. Quomodo Saxones Frisii dicantur Procopio. Galli Cisalpini & incolae*

colae

colae majoris Graeciae etiam Itali dicti. Justinianus Francis Galliam pactus est. Isidori scriptura castigatur. Saxones agilitate terribiles. Murus Britanniam divisit olim, non Rhenolandiam. Alia a Procopio de Brittia memorata Angliae conveniunt non Rhenolandiae. Batavia inclinato Imperio Romano exhausta delectibus & Barbarorum vastationibus. Abundavit incolis Britannia. Qua caussa Rex Francorum Imperium aliquod suum in Angliae incolas jactarit. Dissentientium argumenta diluuntur. Imperitia equitandi Britannis pariter & Batavis non convenit. Dissensus Veterum de Spatio trajectus ex Gallia in Britanniam. Caesaris scriptura ex Graeco Metaphraste defenditur adversus Casaubonum. Procopii, an librarii error incusandus. Quomodo Procopii error excusetur, quod Britanniam sive Angliam Brittiam nominarit. Insulae omnes ad Albiona sive Angliam Britanniarum nomine dictae. Prae ceteris tamen Albion & Hibernia. Britannia Graecis nonnullis per P scripta. Anonymi Ravennatis an error dicendus quod Hiberniam Scotiam nominavit. is suos Auctores habuit. Semel iterumque correctus. Britannia dicta Microcosmus. multis nominibus & divisionibus distincta. Hinc errores. Scotia muro aut vallo, Hibernia freto a Britannia exclusa. Fabula de transvectione animarum. Procopius cur Albiona Brittiam nominarit. Brettia, maris Adriatici Insula. an Βρεττοτία, Βρεττία *Tyrrhenorum.* Βρεττίους *Graeci, Dionysius* Βρεντίους *Latini* Bruttios *nominant. Etiam* Brittii *dicuntur in monumento antiquo. Verisimile nomen* Brittiae *pro* Britannia *Procopium a Francorum legatis accepisse. Illi ut & ipsi Britanni* Brittos *dicebant non* Britannos.

tannos. *Sequioribus saeculis* Brittones *frequentius*, *quam* Britanni *nominantur*, *non illa nomina diversos populos significant.*

JAm dudum domum respicio, atque ex longinqua peregrinatione in Bataviam & ad Brittenburgum redire cupio, sed moram objicit Brittia a Procopio memorata. Ante enim quam arcem ipsam ingredimur, formamque ejus & antiquam supellectilem lustramus, Brittia nobis quaerenda est, quam solus, ni fallor, Procopius describit. Hanc enim partem Bataviae fuisse, cui Brittenburgus caput, opinantur plerique omnes rerum Batavicarum Scriptores. Quanquam autem eorum sententiam haud leviter auctoritate sua corroboravit Hugo Grotius de Antiquitate Reipublicae Batavicae cap. IV. & Cluverius, a quibus non longe abit Altingius in notitia Germaniae Inferioris parte II. voce BRITTIA, nostramque opinionem de Britannorum sedibus ad Rheni ostium Brittenburgumque unice confirmat, facere tamen non possum, quin in alia ab his discedam. Haec autem de Brittia Procopius Bello Gothico libro IV. cap. 20. Κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον τῷ τε Οὐάρνων ἔθνει καὶ στρατιώταις νησιώταις οἳ δὴ ἐν νήσῳ τῇ Βριττίᾳ καλουμένῃ ᾤκηνται, πόλεμος καὶ μάχη ἐγένετο ἐξ αἰτίας τοιᾶσδε. Οὔαρνοι μὲν ὑπὲρ Ἴστρον ποταμὸν ἵδρυνται. διήκουσι δὲ ἄχρι τε ἐς ὠκεανὸν τὸν ἀρκτῷον, καὶ ποταμὸν Ῥῆνον. Ὅσπερ αὐτούς τε διορίζει καὶ Φράγγους καὶ τὰ ἄλλα ἔθνη, ἃ ταύτῃ ἵδρυνται. οὗτοι ἅπαντες ὅσοι τὸ παλαιὸν ἀμφὶ Ῥῆνον ἑκατέρωθεν ποταμὸν ᾤκηντο, ἰδίου μὲν τινὸς ὀνόματος ἕκαστοι μετελάγχανον. ὧν δὴ ἔθνος ἓν Γερμανοὶ ὀνομάζονται. Ἐπικοινῆς δὲ Γερμανοὶ ἐκαλοῦντο ἅπαντες. Βριττία δὲ ἡ νῆσος ἐπὶ τούτου μὲν τοῦ ὠκεανοῦ κεῖται τῆς ἠϊόνος οὐ πολλῷ ἄποθεν. ἀλλ' ὅσον ἀπὸ σταδίων διακοσίων καταντικρὺ τῶν τοῦ Ῥήνου ἐκβολῶν μάλιστα. Βρεταννίας δὲ καὶ Θούλης τῆς νήσου μεταξύ ἐστι. ἐπεὶ Βρεταννία μὲν πρὸς δύοντά που κεῖται ἥλιον, κατὰ τῶν Ἱσπανῶν τὰ ἔσχατα χώρας, ἀμφὶ σταδίους οὐχ ἧσσον ἢ ἐς τετρακισχιλίους τῆς ἠπείρου διέχουσα. Βριττία δὲ ἐς τῆς Γαλλίας τὰ ὄπισθεν, ἃ δὴ πρὸς ὠκεανὸν τετραμμένα Ἱσπανίας δηλονότι καὶ Βρεταννίας πρὸς Βορρᾶν ἄνεμον. Θούλη δὲ, ὅσαγε ἀνθρώπους εἰδέναι, ἐς ὠκεανοῦ τοῦ πρὸς τῇ ἄρκτῳ τὰ ἔσχατα κεῖται· ἀλλὰ τὰ μὲν ἀμφὶ Βρεταννίαν καὶ Θούλην, ἐν τοῖς ἔμπροσθέν μοι λόγοις ἐρρήθη. Βριττίαν δὲ τὴν νῆσον ἔθνη τρία πολυανθρωπότατα ἔχουσι. βασιλεύς εἷς αὐτῶν ἑκάστῳ ἐφέστηκεν· ὀνόματα δὲ κεῖται τοῖς ἔθνεσι τούτοις Ἀγγίλοι καὶ Φρίσσονες καὶ οἱ τῇ νήσῳ ὁμώνυμοι Βρίττωνες. Τοσαύτη δὲ ἡ. τῶν δὲ τῶν ἐθνῶν πολυανθρωπία φαίνεται οὖσα, ὥστε ἀνὰ πᾶν ἔτος κατὰ πολλοὺς ἐνθένδε μετανιστάμενοι, ξὺν γυναιξὶ καὶ παισὶν ἐς Φράγγους χωροῦσιν. οἱ δὲ αὐτοὺς ἐνοικίζουσιν ἐς γῆς τῆς σφετέρας τὴν ἐρηματέραν δοκοῦσαν εἶναι. καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν νῆσον προσποιεῖσθαί φασιν.

Quae

Quae ita verti videas. *Per id tempus Milites, qui Brittiam Insulam colunt, dimicarunt cum Varnis, ex ea caussa, quam hic subjiciam, exorto bello. Trans fluvium Istrum habitant Varni, pertinentque ad Oceanum usque Borealem & Rhenum amnem, qui ipsos ac Francos aliasque vicinas Gentes disterminat. Quicunque olim utramque Rheni partem accolebant, propriis singuli gaudebant nominibus. Earum nationum una appellatur Germanorum vocabulo, omnibus quondam communi. Brittia autem Insula in hoc Oceano sita est, haud amplius CC stadiis procul a littore contra ipsa Rheni ostia, inter Britanniam ac Thulen insulam. Etenim Britannia ad solem occidentem posita, qua extremam Hispaniam spectat, a continente stadia circiter quatuor millia distat. Brittia ultimis objacet Galliae partibus, quae ad Oceanum vergunt, a littore scilicet Aquilonari Hispaniae Britanniaeque. Thule, quantum mortales compertum habent, ad extremum Oceanum septentrionalem submota est. Sed de Britannia ac Thule in superioribus libris disserui. Porro Brittiam insulam nationes tres numerosissimae, suo quaeque sub Rege, habitant. Angli Frisones cognominesque insulae Brittones. Tanta est hominum multitudo, ut inde singulis annis non pauci cum uxoribus liberisque migrent ad Francos, qui in suae ditionis solo, quod desertius videtur, sedes illis adscribunt: ex quo fieri dicitur, ut sibi quoddam jus in Insulam arrogent.* De eadem Brittia mox idem Procopius.

Εν ταύτῃ δὴ τῇ Βριττίᾳ νήσῳ τεῖχος ἐδείμαντο μακρὸν οἱ πάλαι ἄνθρωποι, δίχα τέμνον αὐτῆς πολλήν τινα μοῖραν. ὅτι ἡ γῆ καὶ ὁ ἀνὴρ καὶ τἆλλα πάντα οὐχ ὁμοίως ἐφ' ἑκάτερά ἐστι. τὰ μὲν γὰρ τοῦ τείχους πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον εὐεξία τε ἀέρων ἐστὶ ξυμμεταβαλλομένη ταῖς ὥραις, θέρους μὲν μετρίως ἀλεεινή, ψυχεινὴ δὲ χειμῶνος καὶ ἄνθρωποι μὲν πολλοὶ ᾤκηνται κατὰ ταὐτὰ βιοτεύοντες τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις.

In ea Insula Brittia murum longum Veteres aedificarunt, qui partem ejus magnam ab altera dividit; eo quod soli coelique affectiones, ceteraque omnia, utrobique, diversa sunt. Etenim plaga, quae a muro ad solem Orientem porrigitur, coeli salubritate justis anni vicibus inducta gaudet: aestate temperate calida est, hieme frigida: abundat incolis, qui vitam itidem, ut ceteri mortales agunt. Non equidem erroris absolverim Procopium in iis, quae de Brittia insula & incolarum moribus sive sua sive aliorum fide prodit, quos ea de re se scrutatum dicit. At vero tam insigni offensa lapsum virum eruditum, ut eam partem Bataviae, quam Rhenolandiam appellamus hodie, sive quae Oceano propior est, inter medium ac occidentalem Rheni alveum in Oceano

ceano collocarit, multis stadiis a continente revulsam, tribus populis habitata, muro distinctam, nequaquam mihi usque adhuc persuadere potui. Quin si non dico a nomine, quod idem est, sed nominis terminatione discesseris paucisque aliis, nihil est in descriptione Brittiae, quod Britanniae & vetustissimorum Scriptorum testimoniis de ea Insula non conveniat. Sed Brittiam, inquiunt, a Britannia distinguit Procopius. Verum ut paucis me & Procopium expediam, dico, Britanniae nomine hunc Hiberniam appellasse; Insulam autem, quam Albiona Graeci, Britanniam Romani, nos Angliam nominamus, Brittiam vocasse, gravi an excusando errore deinceps videbimus. Hoc autem si tenuerimus puto, nos tenebras hujus loci dictorumque Procopii, quae multos sollicitos habuerunt, facile dispulsuros.

Nunc singula excutiamus, quam fieri potest brevissime. Hoc autem animadvertendum est, ad defendendum Procopium, aut demonstrandam Procopii Britanniam Brittiamque, me Geographorum duntaxat veterum rationes & persuasiones sequi, a quibus quam longe hodie discedant nostri temporis Geographi, nemo ignorat. Ille autem Britanniam, quam nos Hiberniam interpretamur, docet ad solem Occidentem positam, qua extremam Hispaniam spectat. Strabo autem libro IV. pag. 201. & Mela libro III. cap. 6. Britanniam atque Hiberniam situ non multum dissimiles tradunt. Hiberniam hic Juverniam nominat, quam inepte Islandiam interpretatur Olivarius in multis ineptus. Ut ergo Britannia ita etiam Hibernia κεῖται κατὰ τὸ Ισπανιῶν τὸ ἔσχατον χώρας. *Sita est versus extrema Hispaniae.* & hoc dilucide Caesar ostendit Bello Gallico libro V. cap. 12. *Britannia Insula natura triquetra, cujus unum latus est contra Galliam: hujus lateris alter angulus, qui est ad Cantium, quo fere omnes ex Gallia naves appelluntur, ad orientem solem: inferior ad meridiem spectat. Hujus latus tenet circiter millia passuum D. alterum vergit ad Hispaniam atque occidentem solem, qua ex parte est Hibernia dimidio minor, ut existimatur, quam Britannia, sed pari spatio transmissus atque ex Gallia est in Britanniam.* Adde Plinium Naturali Historia libro IV. cap. 16. Dionem Cassium libro XXXIX. pag. 114. Perspicue magis Paullus Orosius in Historia libro I. cap. 2. *Et quoniam Oceanus habet Insulas, quas Britanniam & Hiberniam vocant, quae in aversa Galliarum parte ad prospectum Hispaniae sitae sunt, breviter explicabuntur.* Sed admodum accommodate Agathemeri verba de Hibernia conveniunt Procopii dictis de Britannia. Vide illius librum de Geographia II. cap. 4. Ἀλλ' ἡ μὲν Ἰουερνία δυσμικωτάτη κειμένη ἀντιπαρεκτείνεται μέχρι λινὸς τῇ Ἰσπανίᾳ.

Et quidem Hibernia plurimum in Occidentem exporrecta aliquantum objacet Hispaniae. nec non Taciti in vita Julii Agricolae cap. XXIV. *Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam situ, & Gallico quoque mari opportuna.* Imo adeo vulgatum fuit in definitione Hiberniae Hispaniam memorare, ut inde Isidorus occasionem arripuerit Hiberniae etymon ab Iberia Hispanorum arcessendi. *Ibernia*, inquit, Originum libro XIV. cap. 6. *proxima Britanniae insula: spatio terrarum angustior, sed situ foecundior. Haec ab Africo in Boream porrigitur, cujus partes priores Iberiam & Cantabricum Oceanum intendunt, unde & Ibernia dicta.* Non autem Hiberniae magis conveniunt ea, quae de Britannia tradit Procopius, quam Angliae, seu Britanniae, quae de Brittia. Hanc namque Rheni ostiis objectam dicit, inter Britanniam, id est Hiberniam & Thulen. De Rheni ostiis quod dicit, nullus ignorat, neque hic aliter veteres quam recentiores Geographi. Strabo in Geographicis libro IV. pag. 199. ubi de Britannia & tribus ejus lateribus τὸ ἀπὸ Καντίου τοῦ κατ' ἀντικρὺ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου. *Latus a Cantio objectum est Rheni ostiis.* Mela libro III. cap. 6. *Inter Septentrionem Occidentemque projecta grandi angulo Rheni ostia prospicit.* Mitto alios, qui obvii sunt. Perite quoque & vere Brittiam collocat mediam inter Hiberniam & Thulen, modo Thulen hic ex mente Procopii non Islandiam, aut aliam in proximo insulam accipias, sed Scandinaviam seu Norwegiam, Finniam & Sueviam. His enim regnis conveniunt, quae Procopius cum hic, tum alibi de bello Gothico libro II. cap. 15. de Thule monet. Vide Cluverium de Germania antiqua libro III. cap. 39. & Cellarium Geographia antiqua libro II. cap. 4. Pergit Brittiae situm describere his Procopius. Βριττία δὲ ἐς τῆς Γαλλίας τὰ ὄπισθεν, ἃ δὴ πρὸς ὠκεανὸν τετραμμένα Ἱσπανίας δηλονότι καὶ Βρεττανίας πρὸς Βορρᾶν ἄνεμον. Quibus nihil verius, sed sensum Procopii non perceperunt Interpretes, qui ita exponunt Graeca, quasi Brittiam a latere aquilonari Hispaniae Britanniaeque obversam dicat, quod plane adversatur instituto Procopii, ut cuivis non ignaro Geographiae patet & consideranti situm Britanniae, intra quam sitam dicit Brittiam. Verum illud significat, ut Britannia sive Hibernia extremam Hispaniae terram prospectat in Occidentem, ita Brittiam Galliam adspicere, qua haec Gallia Hispanicum & Britannicum mare in Septentrionem respicit. Haec autem tanto verior est interpretatio, quanto magis conspirat cum reliquorum Geographorum traditionibus. Adde autem illis, quos ante nominavimus Geographis Marcianum Heracleotem in

in Periplo pag. 57. & 58. Cujus vero animum non haec interpretatio explet, quanquam non video, cur explere non debeat, recordetur is veterum Geographorum consuetudinem existimantium regionum situm ex patria sua aut eo loco, in quo scribunt, non vero ex coeli cardinibus; qua ratione eruditissimus Vir Isaacus Vossius Melam expediendum censet, qui inter Septentrionem Occidentemque Britanniam projectam scribit.

Porro quod addit Procopius Brittiam Insulam incoli a tribus nationibus Brittonibus, Anglis & Frisonibus, tam alienum est a Batavia, quam aptum & consentaneum Brittanniae. Quos autem Frisones dicit Procopius, alii Saxones nominarunt & sunt iidem illi, qui cum Anglis Britanniam destitutam Romanorum praesidiis sibique relictam invaserunt, quorum celebratus est trajectus, magis tamen Scriptoribus Anglis & Chronicorum Architectis, quam Romanis & Graecis. Ex quo enim populi omnes inter Amasin & Rhenum amnes habitantes quorum magna pars Frisii, assumto Francorum nomine, tentatam a se saepius Galliam tandem bona fide ceperunt, Saxones vacuas horum sedes occuparunt, praecipue vero loca maritima insederunt, ad piraticam proni. Scio diversa ab aliis tradi, qui Saxonem Grammaticum similesque Scriptores sequuntur, sed id quod dixi, antiquiorum & praestantissimorum Virorum fide munitur. Inde autem ab Amasi, certe a Rheno per Galliam longo tractu Oceano obducti fuerunt, unde & littus ab iis Saxonicum fuit dictum, quod tempore Theodosii Junioris tuebantur in Belgica secunda Equites Dalmatae in oppido Marcis sub dispositione Viri spectabilis Ducis Belgicae secundae. At vero in regione Armoricana Tribunus Cohortis primae, novae Armoricae in oppido Grannona, vide Notitiam Imperii Occidentis. Hinc intelligimus, quam vere Aemilius Stoke in Chronico perantiquo Saxones collocarit in Batavia, ita namque is praefatur

Ouden boeken hoer ic gewagen,
Dat al 't lant beneden Nyemagen,
Wilen Neder-Zassen hiet.

Neque aliter Colinus pag. 251.

de lande die gelagen
Tussen maer-Zee ende Nymagen
Rien en Mase en Torp Assen
Al die Goyen beten Neer-sassen.

Convenienter etiam Procopio illud Aemilius iste tradit, Saxones hos Frisios esse dictos, credo, quod Frisiorum terras tenebant sive quod multi Frisii iis mixti erant, qui in Galliam non transierant. Quare Johannes Gerbrandus a Leidis libro I. Chronicorum cap. 8. recte scribit Saxones hos sua aetate Frisones appellari, quo nomine etiam hodie dicuntur. Colinus quoque, quum pagina dicta Anglos & Saxones tantum memorat Hengisto & Horso Ducibus, quos Frisio genere ortos scribit Suffridus Petrus de Antiquitate & origine Frisiorum libro II. cap. 14. in Britanniam transmisisse, mox pag. 260. Anglis & Saxonibus etiam Frisones addit, atque ex eo, quod Frisones dicuntur interfuisse expeditioni huic Saxonum Anglorumque, docet Hollandiam olim Frisiae partem fuisse, siquidem Frisones illi profecti sint ex ea regione, quae deinceps Hollandia est dicta, memoratque Johannes Gerbrandus a Leidis cap. 9. Duces illos ex Hollandensibus etiam milites ad expeditionem eam conscripsisse. Puto autem ita legenda Colini verba.

Woe die Friesen Anglen en
Saxen, uitte Allemangen
Verbiven over in Bretangen.

Male editum est *mette Allemangen*; videtur enim non Alemannos gentem, sed Alemanniam regionem dixisse *Allemangen*, ut Britanniam *Britangen*. Allemanniam autem more Scriptorum Gallorum nuncupavit, quam Latini Germaniam appellant. Si tamen Alemannos designasse putabitur Colinus, distinctos a Frisonibus, Anglis & Saxonibus, necesse est Gentem eam, quae ad Moenum habitavit, interfuisse huic expeditioni, de quo nihil compertum habeo, tametsi non me fallit Slavenses, qui ad Albim consederant, ei accessisse, quod eodem capite Johannes Gerbrandus commemorat. Illa vero omnia declarant non aberrasse Procopium, quum una cum Anglis & Brittonibus Frisios in Brittia sive Anglia regnasse scribit. Imo supra cap. IV. dixi Albericum Britones Frisones nominare. Frisios autem ille nominat, quos alii Saxones appellant, quod hi Saxones ex Frisia, quae olim longe ad Oceanum patuit, in Angliam venerunt. Nec magis in eo culpandus est, quam si Cisalpinos Gallos aut ex Majore Graecia populos aliquis Italos nominet. Procopii autem tempore, qui sub Justiniano Principe historias conscripsit, dudum Franci Galliam tenebant, pacto etiam a Justiniano

niano iis tributam, vide Procopium de bello Gothico libro III. cap. 33. atque ex eo Zonaras Annalium libro XV. cap. 4. ut adeo pridem Saxones relictas Francorum sedes ad Oceanum insederint hoc tempore. De Saxonibus in hunc modum Isidorus Originum libro IX. cap. 2. *Saxonum Gens in Oceani maris littoribus & paludibus inviis sita, virtute atque agilitate habilis.* scriptum fuerat *agilitateribilis* quod exponendum *agilitate terribilis*, atque ita est apud Auctorem Orosium Historiarum libro VII. cap. 32.

Porro si cogitamus, quae Procopius de muro narrat, qui Brittiam Insulam dividit, extructo a Majoribus, dubitare nos non sinunt, Insulam eam Britanniam esse sive Angliam, nequaquam vero Bataviam aut Rhenolandiam. Quis enim unquam de tali muro in hac Insula? Silent veterum monumenta neque ullum ejus hic vestigium. Contra vero & veteres & novi Scriptores eum in Anglia ostendunt, nam nec hodie sive muri sive valli reliquiae omnes deletae sunt. De illo Aurelius Victor in Severo *Britanniam, quod ea utilis erat, pulsis hostibus* MURO *munivit, per transversam Insulam ducto, utrimque ad finem Oceani.* De eodem Dion Cassius libro LXXVI. pag. 866. Eutropius libro VIII. cap. 19. Beda in Historia Ecclesiastica gentis Anglorum libro I. cap. 5. Salmasius ad Spartianum in Severo cap. XVIII. Christophorus Cellarius in Geographia antiqua libro II. cap. 4. Britannis dicitur *Gual Sever* & *Mur Sever*, Anglis & Accolis *The Picts Wall*, sive *The Pehits Wall*, murus Picticus, Scotis *Scottis Waith*, vide Camdenum in Britannia pag. 642. Mitto alia, quae Britanniae hanc Insulam Brittiam vindicant, ut multitudinem incolarum, crebram migrationem in Franciam seu Galliam, Francorum ostentationem Imperii in Brittos, denique totam Hermegiscli Varnorum Regis ad suos orationem, quam Historiis inseruit Procopius. Quae omnia prorsus abhorrent a Batavia, quae hoc tempore fuit. Unde enim tanta vis hominum quotannis ad Francos commeantium in Batavia, creberrimis & acerbissimis delectibus Romanorum, in quorum pluribus exercitibus per omnes terrarum partes sub exitu Imperii, militarunt, exhausta & Barbarorum vastationibus afflicta? Aut quae ostentatio, quae gloriatio Francorum Regis de suo in Rhenolandos imperio, cum dudum ipsi totam Insulam Batavorum tenebant, & universae paene Galliae imperabant? Tantam autem multitudinem ex Insula Britannia, quae non suis tantum incolis abundabat, sed & nunc Anglis atque Saxonibus auctior erat,

ad Francos sese recepisse certum est, ut inde in Francia quasi novum quoddam Regnum Brittorum vel Brittonum constitutum sit, certe inde Britanniae in Francia nomen, quod hodiedum manet: Nec mirum si Rex Franciae Britonum inde se Regem jactarit.

Sed ajunt, qui Brittiam de Rhenolandia interpretantur, nonnulla a Procopio memorata non conveniunt Angliae populis, ut inperitia equitandi. Non nego. Sed eadem multo minus convenit Batavis, ex quibus haud dubie ob equitandi peritiam, equites *singulares* multi fuerunt a Romanis Principibus delecti. Sed urgent adversarii spatium illud, quod Zosimus ponit libro III. cap. 7. & hodie est inter Britanniam Rhenumque, discrepat ab eo, quod Procopius definit. Sed cogitandum est primo, numeris nihil corruptius ac lubricum magis in priscis Scriptoribus; deinde spatia Britannicarum Insularum, & trajectum ad eas parum perspecta habuisse Veteres: Quam & opinor caussam fuisse, cur inter Priscos, ne de celeberrimo quidem Morinorum in Britanniam trajectu, quo nihil notius, illa littora habere scribit Mela libro III. cap. 2. conveniebat. Caesar circiter stadia ducenta & quadraginta designat de Bello Gallico libro V. cap. 4. Passus enim ponit XXXM. Totidem stadia habet etiam Graecus Metaphrastes: unde intelligitur, scripturam eam Caesaris antiquam esse. Eustathius ad Dionysii περιήγησιν trecenta stadia numerat, describens ipsa Strabonis verba, qui tamen duobus in locis libro IV. pag. 193. & iterum pag. 199. trecentis his stadiis viginti adjicit. Plinius vero libro IV. cap. 16. quadringenta habet, meminit enim passuum millia quinquaginta additque *minimum.* Dion vero pag. 114. stadia quinquaginta supra quadringenta & quidem τὸ συντομώτατον, a qua ratione nil abit Auctor Itinerarii, quod Antonini dicitur, qui in Itinere Britanniarum a Gessoriaco de Galliis Ritupas in Portum Britanniarum stadia numerat CCCCL. eundem numerum sequitur Beda libro I. Historiae Ecclesiasticae cap. 1. Non magis convenit de trajectu ex Britannia in Hiberniam. Caesar Belli Gallici Commentariis libro V. cap. 13. pari spatio transmissum scribit ex Britannia in Hiberniam atque ex Gallia est in Britanniam, quem tamen longe breviorem facit Plinius nempe XXM. passuum, sive ut in uno Codice legitur XXX. Uter autem in tanta varietate culpandus ~~prius~~ magis, errorne Scriptorum an librariorum? Casaubonus quidem ad Strabonem libro IV. pag. 193. Caesaris librariis eum inputat, tametsi Metaphrastes Graecus a librariis non dissentit. Mea parvi interest, in

utrum

utrum cudatur faba, dummodo credatur, eundem errorem spatium trajectus vitiasse ex Batavia in Britanniam apud Procopium, qui trajectus intervallum ex Gallia in eandem Insulam vitiavit. Possit sane librarii fides in suspicionem venire, quod haud multo post Procopius, certe in eodem capite, ubi fabulam de navigatione animarum narrat, haud obscure significat, intervallum, quod inter Brittiam Insulam & oppositum littus, Franciae nempe sive Bataviae interjicitur, esse noctis unius atque unius diei. Sed fac Procopium ipsum offendisse, quod angustum nimis spatium Britanniae Bataviaeque interponit. Facile est deprehendere similes antiquorum Scriptorum errores in rebus ejusdem Provinciae describendis.

Sed dudum nos ordinis ratio monet, ut videamus, an recte Britanniam dixerit Procopius, quam alii Hiberniam nominant. Verum huic errori, si tamen error est dicendus, haud difficulter ignoscent illi, qui sciunt, omnes Insulas Albioni proximas uno nomine Britannias esse dictas, inter ceteras tamen praecipue Albiona, quam Angliam nunc dicimus, & Hiberniam. Quod de omnibus Insulis dixi, cognoscitur ex Plinii Naturali Historia libro IV. cap. 16. *Ex adverso bujus situs Britannia Insula, clara Graecis nostrisque monumentis, inter Septentrionem & Occidentem jacet, Germaniae, Galliae, Hispaniae multisque maximis Europae partibus magno intervallo adversa. Albion ipsi nomen fuit, cum* BRITANNIAE VOCARENTUR OMNES, *de quibus paullo inferius dicemus.* Inde autem Plinius Insulas reliquas recenset, *Hiberniam*, *Orcadas*, *Acmodas*, *Haebudas*, *Moniam*, *Monapiam*, *Rieneam*, *Vectim* & plures alias, quas enumerare longum. Sed plurimi Britanniarum appellatione duas majores Insulas, quas diximus, Albiona & Hiberniam designarunt. Marcianus Heracleotes in Periplo pag. 35. Πρὸς δὲ τέλοις καὶ τῶν δύο νήσων τῶν ἐν τῷ ἀρκτῴῳ κειμένων ὠκεανῷ, ἃς κοινῶς μὲν πρεττανικὰς καλοῦσι. λέγεται δὲ αὐτῶν ἡ μὲν Ἰουερνία, ἡ δὲ Ἀλβίωνος. *Praeterea vero &* DUARUM *Insularum in Oceano Septentrionali jacentium, quas vulgo quidem* BRITANNICAS *appellant. Ex iis vero baec quidem dicitur* IVERNIA, *illa autem* ALBIONIS. & pag. 57. Αἱ πρεττανικαὶ νῆσοι δύο εἰσὶν, ἥτε καλουμένη Ἀλβίων, καὶ ἡ Ἰουερνία. *Insulae* BRITANNICAE DUAE *una* ALBION *appellata, altera* IVERNIA. Agathemerus libro II. cap. 4. de Geographia. Νῆσοι δὲ ταύτης τῆς ἠπείρου ἀξιόλογοι ἐν μὲν τῇ ἐκτὸς θαλάσσῃ αἱ Βρεττανικαὶ δύο, Ἰουερνίας τε καὶ Ἀλουίων. *Insulae vero continentis bujus memoratu dignae*

in

in extimo mari DUAE BRITANNICAE, HIBERNIA *&* ALBIONIS. Dionysius in περιηγήσει v. 565.

Ἄλλαι δ' ὠκεανοῖο παραὶ βορεάδας ἀκτὰς
Δισσαὶ νῆσοι ἔασι Βρεττανίδες, ἀντία Ῥήνου

Haec ita παραφράζει Avienus.

Eminus hic aliae gelidi prope flabra Aquilonis
Exuperant undas, & vasta cacumina tollunt,
Hae numero GEMINAE, *pingues sola cespitis amplae*
Conditur occidui qua Rheni gurgitis unda,
Dira Britannorum sustentant agmina terris.

Pressius Priscianus v. 576.

Ast aliae Oceani juxta boreotidas actas
Sunt GEMINAE *Rhenique* BRITANNIDES *ostia cernunt.*

Ad quos versus ita Eustathius ὅτι πρὸς βορρᾶν ἔνθα Ῥῆνος ὑστάτιον εἰς ὠκεανὸν ἀπερεύγεται δίνην, αἱ Βρεττανίδες εἰσὶ δύο νῆσοι Ουερνία καὶ Ἀλουίων ἤτοι Βερνία καὶ Ἀλβίων. *Ad septentrionem ubi extremas undas in Oceanum agit, sunt Insulae* BRITANNICAE DUAE VERNIA & ALVION sive BERNIA & ALBION. Et Stephanus Byzantinus de Urbibus & populis ΙΟΥΕΡΝΙΑ ἡ ΠΡΕΤΑΝΝΙΚΗ νῆσος τῶν δύο ἐλάσσων. *Juvernia Britannica insula* DUARUM *minor.* Ut autem ab hoc & Marciano per P exaratam vides vocem Britanniae, id ita usitatum fuisse docet idem Eustathius ad Dionysii περιηγήσιν v. 492. & 568. ὡς de Insulis Britanniae loquitur ἄλλοι διὰ τοῦ Π Πρεττανίδας καλοῦσι, *quas alii* P PRETANIDAS *vocant.* Hiberniam hanc Anonymus Ravennas Scotiam etiam nominatam tradit Geographiae libro I. *& trans ipsam Britanniam trecentis miliariis spatiis, ubi longius* SCOTORUM *insula invenitur, quae &* HIBERNIA *conscribitur.* & libro V. cap. 32. *alterum in eodem Oceano Occidentali post ipsam magnam Britanniam simulque & amplius longius, ut diximus, quam omnes Insulae a terra magna finita parte Septentrionali magis ex ipsa Occidentali est Insula maxima, quae dicitur* HIBERNIA, *quae ut dictum est, &*

SCO-

SCOTIA *appellatur*. Parvi hoc penderem, ni scirem, hominem hunc omnia, quae habet, a praestantissimis Scriptoribus accepisse, non tantum quos Graecia & Roma vidit, sed & ipsa Barbaria, quos si consulere hodie liceret, certiora cum de Britannia, tum maxime de Batavia atque universa Germania tradere possemus. Sive autem haec Ravennatis est titubatio, sive aliorum, quos secutus est, certum est, diversa admodum scripta esse Veteribus de his Insulis, & videtur in iis de Britannia Graecos Auctores habuisse homo, sic namque dicto capite 3. libri I. *Magna Insula Britannia rejacet; quam* GRAECORUM *Philosophi quasi Micosmin*, lege *Microcosmon*, appellant. Quin his Graecis fidem ipse non habet Insulae magnitudinem inmensam tradentibus. Ita namque libro V. cap. 31. *Quamvis insulam quidam Gothorum* (lege Graecorum, tametsi haud nescio crebro eum Gothorum Philosophorum meminisse) *quasi Micosmi* (lege *Micrrocosmum*) *appellaverunt. Nam nos tam magnam Insulam neque in supra scripto mari magno, neque in privato Oceano dilatissimo, neque in quo praediximus sinu Oceani legendam nullo modo repperimus*. Dictorum horum barbariem alii perstringant, & si volupe est, emendent. Hoc ex iis liquere puto, varie erratum a vetustis esse de Britannia vicinisque Insulis. Et sane pronus error fuit ob multiplicem Britanniae appellationem & divisionem. Scotiam autem cum a Britannia distinctam legerent, illi, quos Ravennas Auctores habet, (tametsi Scotia non aquis divisa fuit, sed vallo aut muro) crediderunt eam Hiberniam esse, quam similiter distinctam legerunt, distincta autem ea fuit non vallo, sed freto & mari interfuso. Hoc tamen nonnihil adjuvatur Auctor Anonymus, quod Scriptores nonnulli Carolo Magno posteriores Hiberniam nomine Scotiae majoris appellarunt. Dandum est ergo aliquid Procopio, si ipse quoque levius offendit in nonnullis ad Insulam pertinentibus. Quanquam reliqua, quae discrepant, ut de inperitia equitandi, de qua diximus, de transvectione mortuorum non de Batavis aut dicam potius Rhenolandicis, quam de Britannis veriora sunt, imo transvectionem hanc sermonibus ac narrationibus nonnullorum acceptam ipse somniis & fabulis accenset.

Ad Brittiae nomen quod attinet, quod Angliam, aut, ut Graeci nominarunt, Albiona significari putamus, fateor usque adhuc in aliis Scriptoribus nondum occurrisse mihi hoc nomine dictam. Brettiam Insulam meminit Auctor Etymologici magni, meminit etiam Stephanus

phantis certe ex opinione Berkelii; nam in libris vulgatis editur Βρεττονία atque ita legit Thomas de Pinedo, sed utrocunque modo legas, Insula haec Adriatici Maris fuit, nec ea quidquam ad Britanniam. Fuit & alia Βρεττία sed Tyrrhenorum, ut scribit Stephanus in Βρέττος. Verum haec eorum Βρεττίαν est, quos Latini Bruttios, Dionysius Βρεττίους v. 362. nominat. Ubi vide Eustathium. Adde Leopardum Emendationum libro IV. cap. II. Brittii etiam illi dicuntur in antiquo lapide apud Gruterum pag. MXCIV. n. 3. Quare non assentior Viro docto haec mutanti in Excerptis Strabonis libro VI. circa finem τὴν Λευκανίαν ἄχρι τῆς Βρεττίας. Βρεττανίαν nominavit Olympiodorus, qui scribit Ῥήγιον μητρόπολις ἐστι τῆς Βρεττανίας. Sed Samuel Bochartus in Geographia Sacra parte II. libro I. cap. 39. prope finem hic Βρεττίας non Βρεττανίας scribendum docuit. Sed quocunque tandem nomine sive haec regio, sive illa Adriatici Maris Insula dicenda sit, scimus non inde confirmari, nomen Brittiae recte, aut saltem priorum exemplo, Britanniae aut Albioni tributum esse a Procopio. Parum autem abest, quin credam, acceptam [illegible] id appellationis a Francorum legatis, quos haud ita pridem ad Justinianum Imperatorem missos scribit eodem capite, vel ex Anglis, quos inter Comites horum legatorum fuisse addit. Hi autem legati ex sua lingua Brittiam nominarunt, quam Britanniam plerumque Latini vocarunt. Soliti enim & ipsi Angli & vicini eorum transmarini, ut antea docuimus, breviore vocabulo Brittos nominare, unde & Matres Brittae dicuntur, de quibus supra cap. III. Quin illis, qui cadente simul cum lingua Romanorum Imperio scripserunt, Britto frequentius, quam productiore voce Britannus vocatur, ut ex Notitia eadem aliisque ejusdem aetatis Scriptoribus patet. Ne quis autem Brittones & Britannos diversos censeat, id quod nonnulli censuerunt, notissimum illud Ausonii epigramma CX. intercedit.

Silvius hic bonus est. Quis Silvius? Ille BRITANNUS.
Aut BRITTO *hic non est Silvius, aut malus est.*

CAPUT VIII.

Suetonii locus de expeditione ridicula Caligulae in Germaniam consideratur. Turris Phari a Caligula ad medium Rheni

ni ostium extructa aula confunditur cum Arce Brittenburgi-
na. Illa fuit Oceano propior, & Turris [illegible]ae vocatur. Gal-
li & Germani peregrina nomina contrahere solent. Graeci
[illegible] dixerunt. Cujus Imperator Caligo-
[illegible] potissimum in Germania est appellatus, is parvulus
[illegible] manipulario habitu in Castris, quae in Ger-
mania inferiore fuerunt. Caligulae joculare nomen. Tur-
ris nonnunquam, Phari turrim notat. Turris Augusti
apud Melam, Pelori apud Strabonem qualis? Antiqui
Scriptores nomen Phari pro qualibet turri, cujus ignes na-
vium cursus dirigebant, non frequentarunt. Pharus In-
sula Aegypti. Turris pro praedio suburbano. A Casau-
bono [illegible]ditur. Non duae sed plures Phari turres aetate
Plinii in Italia. Miseni fuisse videtur & Cajetae; Cer-
te Ostiae fuit, item Capreis. Adversus Cluverium de si-
tu Phari a Caligula extructi contenditur. Non in Mori-
norum Portu, sed in Batavorum Insula ad Rheni ostium
[illegible]isse docetur. Male Suetonii testimonium inter-
polavit Cluverius. Jocularis Caligulae expeditio in Ba-
tavorum Insula instituta. In loco expeditionis turris Pha-
ri erecta, ac proinde in Batavia. Populi inter Rhenum
& [illegible] habitantes Germaniae accensebantur. Non
Caligula ex Batavorum insula ad Morinorum Portum con-
cessit. Monumenta in locis victoriae erecta aut prope ea.
Suetonii locus expenditur. Dio Cassius expositus, non
intellectus Cluverio. Claudius Imperator ad Caligulam in
Bataviam missus. Orosius illustratus, a Cluverio non in-
tellectus. in quibus rebus credendum Orosio. Is in rebus
Imperatorum Romanorum tradendis sequitur Suetonium.
Scriptura ejus ex Suetonio emendatur, item ex Joanne Sa-
risberiensi expositus & tentatus. Cynobellinus Britan-

norum Rex an Bellinus? Nomen illud in nummis. Adminius qui filius ejus, utriusque nomen varie scriptum. Bellini nomen frequens in Germania, item in Gallia; an huc pertinet Apollo Belenus? *Prospectus in scriptis Geographorum quid? Longissimum spatium designat. Ostium Rheni ex sententia Strabonis e Britannia oculorum conspectu contingi potuit. Orosius & Aethicus iisdem verbis eadem scripserunt. uter utrum compilaverit. iterum Cluverius refutatus. Quatuor trajectus e Gallia in Britanniam. Quemadmodum ex Rheno in Britanniam transmissum fuerit. Turris Phari in Portu Bononiensi male confunditur cum turri Caligulae Cluverio. ejusmodi turris videtur in Cantio quoque fuisse. imo in pluribus locis ad Oceanum & per omnes terras. Aurelii Victoris offensa. Orosio iterum lux. Peragrare Germaniam. Eutropius emendatus. Suevi non habitarunt inter Rhenum & Flevum. Glareani emendatio improbata. Eutropii Metaphrastes Graecus notatus. Nullo praelio congressus est cum Germanis Caligula.* Auci, Chauci, Chaci *iidem videntur. habitarunt medium Rheni ostium in Germania.* Chammavi & Ammavi *non differunt. Lapis antiquus expositus. Junii αβλεψία notata.*

QUo autem dilucidius exponantur ea, quae ad Brittenburgum pertinent, distinguenda sunt duo Monumenta Romana ad medium Rheni ostium extructa, Turris Phari, & Brittenburgus, quae Batavicarum rerum Scriptores temere confuderunt. De Pharo Suetonius in vita Caligulae. locum autem integrum de suscepto gestoque a Caligula bello adjiciebam, quia mox ex ordine ejus plura erunt nobis adversus Cluverium disputanda. Ita autem is Scriptor.

Cap. XLIII. *Militiam resque bellicas semel attigit, neque ex destina-*

stinan[illegible], sed cum ad visendum nemus flumenque Clitumni Mevaniam processisset, admonitus de supplendo numero Batavorum, quos circa se [illegible], expeditionis Germanicae impetum cepit: neque distulit, sed [illegible] & [illegible] undique excitis, delectibus ubique acerbissime actis, contracto & omnis generis commeatu, quantum nunquam alius, iter ingressus est: confecitque modo tam festinanter & rapide, ut praetorianae cohortes contra morem signa jumentis imponere & ita subsequi cogerentur: Interdum adeo segniter & delicate, ut octophoro veheretur, atque a propinquarum urbium plebe verri sibi vias & conspergi propter pulverem exigeret.

Cap. XLIV. *Postquam castra attigit, ut se acrem & severum Ducem ostenderet, legatos, qui auxilia serius ex diversis locis adduxerant, cum ignominia dimisit. At in exercitu recensendo plerisque Centurionum, maturis jam, & nonnullis ante paucissimos, quam consummaturi essent, dies, primos pilos ademit, caussatus senium cujusque & inbecillitatem: ceterorum increpita cupiditate commoda emeritae militiae ad sex millium summam rescidit. Nihil autem amplius, quam Adminio, Cinobellini Britannorum Regis filio, qui pulsus a Patre cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto: quasi universa tradita insula magnificas Romam litteras misit: monitis speculatoribus, ut vehiculo ad Forum usque & Curiam pertenderent, nec nisi in aede Martis, ac frequente Senatu Cos. traderent.*

Cap. XLV. *Mox deficiente belli materia paucos de Custodia Germanos trajici, occulique trans Rhenum jussit; ac sibi post prandium, quam tumultuosissime adesse hostem nunciari. Quo facto proripuit se cum amicis & parte equitum praetorianorum in proximam silvam, truncatisque arboribus & in modum tropaeorum adornatis ad lumina reversus, eorum quidem, qui secuti non essent, timiditatem & ignaviam corripuit: Comites autem & participes victoriae novo genere ac nomine coronarum donavit: quas distinctas solis ac lunae siderumque specie, exploratorias appellavit. Rursus obsides quosdam abductos e litterario ludo, clamque praemissos, deserto repente convivio cum equitatu insecutus veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit: in hoc quoque mimo praeter modum intemperans. Repetita coena renunciantes, coactum agmen, sicut erant, loricatos ad discumbendum adhortatus est. Monuit etiam notissimo Virgilii versu.*

 Dura-

Durarent secundisque se rebus servarent: atque inter haec absentem Senatum Populumque gravissimo objurgavit edicto, quod Caesare praeliante & tantis discriminibus objecto, intempestiva convivia, circum & theatra & amoenos secessus celebrarent.

Cap. XLVI. *Postremo quasi perpetraturus bellum, directa acie in littore Oceani ac ballistis machinisque dispositis, [illegible] ac opinante quidnam coepturus esset, repente ut Conchas legerent galeasque & sinus replerent, imperavit, spolia Oceani vocans Capitolio Palatioque debita. Et in indicium victoriae altissimam turrim excitavit: ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium cursus, ignes emicarent: pronunciatoque militi donativo, centenis viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus, abite, inquit, laeti, abite locupletes.*

Hactenus Suetonius. Victoriae indicium sive monumentum, ex quo ignis in usum navigantium emicuit, turrim vocat; non ergo arx fuit aut castellum, in quo milites Romani praesidia agebant, quale fuit Brittenburgum, teste Colino. Et quo magis intelligamus turrim eam atque arcem diversas fuisse, inspicienda ea, quae Joachimus Oudanus tradidit in libro Belgice scripto *Roomse Moogentheit*, Latine potentiam Romanam an Imperium dicere malis ipse judica. pag. 25. Huic adde Parsium in Antiquitatibus Catvicensibus pag. 100. in quibus Oudani verba recenset. Scribunt autem eo in loco, ubi Rheni medium ostium, nunc undis atque arenis obrutum, olim fuisse existimatur, turrim sub aquis latere, non conjunctam cum Brittenburgo, sed interjecto spatio remotiorem in Oceanum: Adduntque hanc turrim crebro a piscatoribus contis ac verriculis esse exploratam, nomine autem *Callae turrim* vocari. Fuit ergo turris quum integra olim staret, propior Oceano, quam Brittenburgus. Qui quidem situs non tantum turrim ab arce secludit, verum etiam Phari usum arci negat, contra turri vindicat. Necesse namque est, ut in ipsa littoris crepidine atque ostii exitu Pharus fuerit excitatus, ut in Oceano navigantibus in proximo ingressum amnis & portus introitum, ut scribit Plinius libro XXXVI. cap. 12. non a longinquo lumen, quod dubium & fallax esse consuevit & periculosum nautis, monstraret. Non haec turris etiam alios fefellit certe non Scaligerum, cujus haec verba de illa accipienda sunt, quae annotarunt Puteani fratres in Excerptis Scaligeranis hoc modo in voce *Antiquitez. Il y a à Catwich en Hollande près de l'Ocean les masures d'un*

E 4 *vieux*

Vieux Chasteau, dont on voit ENCORE LES RESTES ET D'UNE TOUR RONDE *de pierre.* Cum autem turris illa in extremo littore fuerit, non autem Brittenburgus, credibile est, signum a turri illa nautis datum, non vero a Brittenburgo. Firmant sententiam hanc antiqua nomina, etiam nunc frequentia, quibus illa, *turris*, & quidem *turris Callae*, hic autem, *het Huis*, id est Domus vel Arx appellatur. Nomen autem hoc *Callae turris* verbis Suetonii respondet, qui *turrim* [illegible] atque a Caligula extructam scribit. *Calla* autem contractiore vocabulo, ut vocabula Romana contrahere consueverunt Galli & Germani, Caligulam significat, quem Graeci saepe forte & Galli Germanique, geminato λ Κάλλιγλαν dixerunt. Tametsi autem joculari hoc nomine Cajus Imperator in ceteris Provinciis forte appellatus non est, in Germania tamen utraque, praesertim inferiore atque in ipsis Caninefatibus, ubi parvulus versatus est in Castris Patris sui atque in Praetorio Matris, dissito haud procul ostio Rheni, eo nomine dictum semper puto. De nomine hoc ita Suetonius in Caligula cap. IX. *Caligulae cognomen castrensi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur.* Castra, in quibus hoc nomen accepit, in Germania inferiore collocat Dio Cassius libro LVII. & Tacitus Annalium libro I. cap. 41. jucundum autem & amabile hoc nomen erat in his oris parentibus pariter & militibus, credo & Germanis. Idem namque Tacitus Annalium libro I. cap. 69. de Agrippina Matre Caligulae. *Nihil relictum Imperatoribus, ubi femina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem tentet, tanquam parum* AMBITIOSE *filium Ducis* GREGALI HABITU *circumferat, Caesaremque* CALIGULAM *appellari velit.* Non ergo alio nomine in vulgo hic, quam Caligulae est dictus. Vox autem *turris* simpliciter olim Pharum significavit, sive ejusmodi turrim, ex qua ignis incendebatur nautis, & ejusmodi Phari turrim fuisse puto, quam *Augusti turrim* appellat Pomponius Mela libro II. cap. I. n. 75. & *turrim Pelori*, de qua Strabo libro III. pag. 171. imo plerasque turres ad Oceanum & mare positas, quas memorant Geographi. Non autem eae Phari nomine designantur ab antiquis Scriptoribus, quod illorum aetate vox haec simpliciter usurpata extra carmen non quamcunque Phari turrim notabat, sed eam, quae in Aegypto erat, & cui insula Pharos nomen dedit, de qua Plinius libro XXXVI. cap. 12. atque alii. Certe Suetonius nusquam turres ad similitudinem Phari Aegyptiaci in aliis locis erectas simpliciter Pharos nominat,

nat, sed modo *turrim Phari*, ut in Tiberio cap. LXXIV. *Et ante paucos quam obiret dies*, TURRIS PHARI *terrae motu Capreis concidit*. modo *in exemplum Phari* in Claudio. cap. XX. *congestisque pilis superposuit altissimam* TURRIM IN EXEMPLUM ALEXANDRINI PHARI, *ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent*. atque in loco, quo de agimus cap. XLVI. *altissimam turrim excitavit: ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium cursus ignes emicarent*. Hoc utique intelligimus ex Geographis, turres, quas nominant, & quas Pharos putamus, ad mare sitas fuisse, ut in Sardinia, Apulia aliisque locis. Hieronymus Surita ad pag. 6. Itinerarii Antonini turres has suburbana praedia exponit, quod ut de nonnullis verum arbitror, ita de omnibus affirmare non ausim. Multo minus affirmare ausim, quod Isaacus Casaubonus in Commentariis ad Julium Capitolinum in vita Antonini Pii tradit, duas tantum Phari turres tempore Plinii in Italia fuisse, Puteolis alteram, alteram Ravennae; quod harum tantum ipse Plinius meminit libro XXXVI. cap. 12. Sed an nulla ergo Miseni, ubi classis ad tutelam maris inferi fuit collocata ab Augusto? An non in aliis celeberrimis Italiae, & utriusque maris superi & inferi portibus? Anne Cajetae quidem, ubi eam restituit Antoninus Pius, ut adeo Plinii aetate id est sub Vespasiano, jam fuisse videatur? Imo anne Ostiae quidem in portu Pharus praeluxit? Negandum hoc ex sententia Casauboni, sed affirmat Suetonius in Claudio cap. XX. atque hanc Ostiensem Pharum ex verbis Plinii exsculpit Isaacus Vossius ad Melam libro II. cap. II. n. 50. Pharum Capreensem celebrasse creditur Statius Sylvarum libro III. carmine V. v. 100.

Teleboumque domos, trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagae tollit PHARUS *aemula lunae.*

ubi vide Barthium.

Sed missis Phari turribus reliquis, ad eam revertor, quae in Batavorum Insula atque haud longe a Brittenburgo a Caligula est facta. Illam autem summa opum vi oppugnat Cluverius, ut Batavis, aut si mavis Caninefatibus eripiat & Morinis in Gallia restituat. Scio alios similiter ante Cluverium ad Kirburgum Normanniae eam transtulisse, sed hos silentio praetereo, quia fractis Cluverii telis, quibus pugnat, horum quoque conatus irriti intercidunt. Cluverius vero

vero in antiqua Germania libro II. cap. XXXVI. pag. 179. & 180. tuetur se auctoritate Dionis Cassii, sed præcipue Paulli Orosii, quorum tamen sententiam non perspexit. Suetonii vero locum quia sibi nimium adversum sentiebat, non integrum atque uno contextu commemorat, sed divulsum insertaque a Dione Historia, verum male sibi accepta, dirruptum. Nempe hac unice incumbit Vir doctus, ut ostendat Caligulam post ridiculam expeditionem rediisse a Germania & Rheni Trajectu in Galliam atque ad Bononiam, sive ad portum Gessoriacum, & eo in loco excitasse turrim in modum Phari. At vero quid tam alienum a sententia Tranquilli, modo locum illibatum & non dissectum, sed ita integrum, ut dedimus eum sub initio hujus capitis, cognoscamus & persequamur. Hoc dubitari non potest, quin jocularis illa acies a Caligula instructa, omniaque, quae ad eam pertinent, gesta sint in Batavorum Insula. Bataviam certe proximamque & Germaniam is Imperator Bello destinavit; ad destinatum autem locum pervenit, castra enim attigisse dicitur. Ibi cum esset, Adminium Cynobellini Britannorum Regis filium in deditionem recepit. Et ne ambigas, in extrema Batavia atque ad medii Rheni ostium rem gestam: Rhenus, Oceanus & ripa Germanica in proximo fuisse cognoscuntur. Haec tria autem si conjungas, fieri non potest, ut de alio loco cogites, quam de eo, ubi turris illa Phari, certe ubi Brittenburgus fuit. Germania, in quam trajecto amne venerunt milites, ad scenicum bellum missi, cogitationes ab aliis Rheni alveis retrahit, siquidem non a primo sive Occidentali, non ab extremo, id est Orientali, sed a medio alveo Germaniae initium fuit. Qui vero populi inter medium & Orientalem alveum seu Flevum degebant, Germaniae accensebantur quicquid contra clamet Johannes Isaacus Pontanus in Disceptationibus Chorographicis cap. XI. Si autem recordamur in ea parte Insulae rem gestam, ubi Oceanus, necesse est, ut ad ostium illius alvei medii gesta sit. Quod si autem bellum in eo loco inperatum gestumque est, quae dubitatio incessere potest, turrim indicium victoriae, ut Suetonius appellat, in eodem loco, sed in ripa pacata, id est Caninefatum, qui a Tiberio fuerunt domiti, esse excitatam? Nil namque Suetonius de motis Castris & de reditu aut profectione Caligulae ad Morinos, quam Cluverius imaginatur. Quin imo duplex hujus turris usus, ut & victoriam testaretur, & navium cursus ignibus regeret, ostendit, eam non in loco longinquo atque ad mediam Galliam, ubi Cluverius po-

sitam arbitratur, sed in eodem loco esse excitatam? quid aliter atque alia monumenta ab aliis Imperatoribus ducibusque in locis rei gestae excitata sunt. Scio nonnulla tropaea in urbibus conspecta fuisse ad earum ornatum, sed ad hunc usum turris illa Caligulae referri non potest.

Ad extremum, quid tandem Suetonius in capite XLVIII. aliud docet, nisi hoc, quod contra Cluverium adferam, Caligulam non a Rheno in Morinorum terram & ad Iccium Portum sive Gessoriacum recessisse, sed ad finem usque expeditionis ad Rhenum atque in Batavorum insula mansisse? ita namque Tranquillus *Priusquam Provincia decederet*, inquit, *consilium iniit nefandae atrocitatis; Legiones, quae post excessum Augusti seditionem olim moverant, contrucidandi: quod & patrem suum Germanicum ducem & se infantem tunc obsedissent. Vixque a tam praecipiti cogitatione revocatus inhiberi nullo potuit modo, quin decimare vellet, perseveraret. Vocatas itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis depositis, equitatu armato circumsedit; sed cum videret inspecta re plerosque dilabi ad resumenda, si qua vis fieret, arma, profugit concione, confestimque urbem petiit.* Primo in his dicit *priusquam provincia decederet.* Quam autem hic provinciam accipiemus, nisi eam, quam ante a Caligula petitam ostenderat, nempe Germaniam? ubi in Caninefatibus est moratus ad Rheni ostium. Sed pergit Tranquillus *consilium iniit nefandae atrocitatis, legiones &c.* Quae autem illae legiones, Gallicanae an Germanicianae? imo vero Germanicianae, non illae. Audi Tacitum rem eandem persecutum libro I. Annalium, ubi primo cap. 31. *iisdem ferme diebus, iisdem caussis* GERMANICAE LEGIONES *turbatae, quanto plures, tanto violentius*, remque ordine omnem pluribus mox exponit ac potissimum cap. XL. paucioribus Dion Cassius libro LVII. pag. 604. Solos tamen exercitus qui in Pannonia & Germania erant tumultuatos scribit, non etiam qui in Gallia. Imo ipse quoque Suetonius idem docet in alio loco, nempe in Tiberii vita cap. XXV. praesertim si locum ita distinguas, quemadmodum Torrentius Casaubonus, Graevius eum distinguendum legendumque censent. GERMANICIANI *quidem etiam Principem detrectabant non a se datum: Summaque vi Germanicum, qui tum iis praeerat ad capessendam rem publicam perurgebant, quanquam obfirmate resistentem.* Ubi autem seditiosas has legiones contrucidare aut decimare voluit Caligula? Utique in ea provincia, in qua praesidia agebant id est Germania

nam

nam in Galliam eas ex sua provincia evocatas fuisse non constat, nec usquam credibile est. Sed & illud in primis observari velim, quod addit Suetonius de Caligula, profugisse eum ex concione, CONFESTIMQUE urbem petiisse, cum se suspecta & irrito suo consilio contrucidandi aut decimandi, ad resumenda arma milites delabi videret. Ex quibus intelligimus, eum, cum ex provincia, quam belli caussa petierat, atque e loco, in quo aliquandiu moratus fuerat, id est Batavia, discederet, non in Gallia, atque ad Morinorum portum restitisse, sed confestim Romam properasse.

II. Verum Dionem tandem consulamus, hunc enim apertius docere putat Cluverius, Phari turrim in Morinis aedificatam. Is autem libro LIX. pag. 656. in hunc modum. Ἐς δὲ τὴν Γαλατίαν ἀφίκετο, πρόφασιν μὲν, τοὺς Κελτοὺς πολεμίους, ὡς καὶ [illegible] τι, ποιησάμενος, ἔργῳ δὲ, ὅπως καὶ ἐκείνους [illegible] τοὺς πλούτους, καὶ [illegible] Ἰβήρων ἐκχρηματίσηται. οὐ μέντοι καὶ [illegible] τὴν ἔξοδον [illegible], ἀλλ' ἐς [illegible] ἐλθὼν, μεθ' ἑαυτοῦ ἤγετο [illegible], πολλοὺς δὲ μονομάχους ἵππους, γυναῖκας, [illegible] πομπὴν ἐπαγόμενος. ἐλθὼν δὲ [illegible] τὸ μὲν πολέμιον οὐδὲν ἐκάκωσεν [illegible] τὸν [illegible] τῶν [illegible] ἐς τὴν Βρεττανίαν στρατεύσων, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ὠκεανοῦ ἀνεκομίσθη, καὶ τοῖς [illegible] τι πάνυ ἤχθετο, τοὺς δὲ [illegible], τούς τε συμμάχους καὶ τοὺς πολίτας πλεῖστα καὶ μέγιστα [illegible].

In Galliam Cajus abiit, obtentu Germanici belli usus, quod is populus aliquid novi motus dedisset: ipse revera in animo habens Gallias quoque opibus florentes & Hispaniam expilare. Abitum suum non palam prius ostendit, sed in suburbium progressus inde subito discessit, abductis secum multis saltatoribus, gladiatoribus, equis, mulieribus at reliquo luxus famulitio. Eo quum pervenisset, hostium terram nullo maleficio infestavit, ultra transitum a se Rhenum parumper progressus, inde statim reversus: tum quasi in Britanniam iturus ab ipso Oceano rediit, iratus etiam legatis, si quid rei gessissent, *at provinciales foederatos, Civesque mirum in modum afflixit.* In his ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ὠκεανοῦ ἀνεκομίσθη. *ab ipso Oceano rediit*, non significant, ut Cluverius interpretatur, ab Oceano juxta Rhenum in penitiorem Galliam eum rediisse, sed a navigatione Oceani, in quem a littore Bataviae Palatinum subvectus fuerat, quasi in Britanniam ad inferendum bellum trajecturus, revertisse. Nam ita dein pag. 659. Μετ' αὐτὸ ὅτι [illegible] τὸν ὠκεανὸν ἦλθεν, ὡς καὶ ἐν τῇ Βρεττανίᾳ στρατεύσων, καὶ πάντας τοὺς στρατιώτας ἐν τῇ ἠϊόνι [illegible], [illegible] ἐπέβη, καὶ ὀλίγον ἀπὸ τῆς γῆς ἀπάρας ἀνέπλευσεν. καὶ μετὰ τοῦτο [illegible] ὑψηλοῦ ἱζήσας, καὶ σύνθημα τοῖς στρατιώταις ὡς

ἐς μάχην δοὺς, τοῖς τε σαλπιγκταῖς ἐξοτρύνας. αὐτὸς ἐπὶ ἐξαίφνης ἐκέλευσε τοῖς στρατιώταις τὰ κογχύλια συλλέξασθαι. λαβὼν τε τὰ σκῦλα ταῦτα (ἐδεῖτο γὰρ λαφύρων δηλονότι πρὸς τὴν τῶν ἐπινικίων πομπὴν ἰδεῖν) μέγα τι ἐφρόνησεν, ὡς καὶ τὸν ὠκεανὸν αὐτὸν δεδουλωμένος· καὶ τοῖς στρατιώταις πολλὰ ἐδωρήσατο. Καὶ ὅμως ἐς τὴν Ῥώμην τὰ κογχύλια ἀνεκόμισεν, ἵνα καὶ ἐκείνοις τὰ λάφυρα δείξῃ. *Eodem tempore ad Oceanum profectus, tanquam in Britanniam bellum translaturus omnes in acie milites suos propter littus collocavit, ipse trireni conscensa paullum a terra avectus rediit, ac deinde alto in suggestu considens, signum pugnae militibus dedit; classicumque canere jussit, ac subito mandavit, ut conchilia legerent. His sumtis spoliis, nimium exuviis hostium ad triumphum indigens, animum sustulit, quasi ipsum Oceanum subegisset, donatisque liberaliter militibus; conchilia haec Romam attulit, ut ibi quoque spolia sua ostentaret.* Fallitur autem Cluverius, dum existimat, quae hoc posteriore loco memorantur, a Caligula non in eadem parte Galliae, qua superiora, esse gesta, id est non ad Rhenum atque in Batavia terraque Caninefatum, sed in Morinis & illo in loco, ubi ab Imperatore turrim extructam ratur. Nam si sedulo animum attendis, alterumque locum Dionis cum altero comparas, videbis, eum pag. 656. inchoare historiam expeditionis Britannicae & aciei mimicae, multisque exemplis interpositis, quae avare, scelerate & crudeliter acta fuerunt a Caesare, tandem pag. 659. orsum resumere & pertexere. Ut autem intelligas, eandem eum utroque in loco historiam narrare, iisdem paene verbis utrobique proponit, quod solent facere illi, qui ad rem inceptam post digressionem aliquam redeunt. Ita namque pag. 656. Καὶ μετὰ τοῦτο ὁρμήσας ὡς καὶ ἐς τὴν Βρεττανίαν στρατεύσων ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ὠκεανοῦ ἀνεκομίσθη. *Tum quasi in Britanniam iturus ab ipso Oceano rediit*, pag. 609. autem Μετ' αὐτοῦ ὅτε καὶ ἐς αὐτὸν τὸν ὠκεανὸν ἦλθεν, ὡς καὶ ἐν τῇ Βρεττανίᾳ στρατεύσων. *Tum ad Oceanum profectus, tanquam in Britanniam bellum translaturus*, & mox planius exponit, quemadmodum ab Oceano redierit, cujus rei mentionem priore loco obscurius injecerat. Dein si Dionem cum Suetonio contuleris, videbis, illum interrupta orationis tela duobus in locis memorare, quae hoc uno contextu & uno quasi spiritu eodem in loco conjungit. Quod si vero ex sententia Cluverii ea, quae pag. 656. narrat Dio, accipimus gesta ad Rhenum, quae vero pag. 659. persequitur, in Morinis atque ad Gessoriacum patrata intelligimus, non tantum diversa haec & contraria Suetonii narrationi deprehendimus, sed necesse erit, ut duas expeditiones Caligulae in Britanniam, aut saltem duos conatus mimicos

in

in eam Insulam statuamus, id quod omnino a vero abhorret. Possum nunc ex aliis Scriptoribus demonstrare, quae interponuntur illi historiae a Dione, gesta esse in Batavia, non vero ad Bononiam sive Gessoriacum in Gallia: verum ista, ut puto, non exigunt tam sollicitam minimarum rerum inquisitionem. Unum paucis addo, quod de periculo Claudii a Senatu ad Caligulam missi scribit Dion pag. 658. id non in Gallia accidisse, sed in Batavia, vide Suetonium in Claudio cap. IX.

Sed venio nunc ad Orosium, cujus testimonio unice nititur Cluverius. Verum nec nos ejusdem Orosii auctoritatem defugimus, sed ita ut in rebus saeculo suo antiquioribus non plus ei auctoritatis tribuamus, quam iis Auctoribus, quos ipse sequi solet. In rebus autem priorum Imperatorum exponendis, Suetonium potissimum sequitur. Ita autem Orosius Historiae libro VII. cap. 5. de Caligula. *Hic siquidem magno & incredibili apparatu profectus quaerere hostem viribus otiosis Germaniam Galliamque percurrens in ora Oceani circa prospectum Britanniae restitit. Cumque ibi Minocynobellinum Britannorum regis filium, qui a Patre pulsus cum paucis oberrabat, in deditionem recepisset, deficiente belli materia domum rediit.* Contendenti cum his Suetonii verba, quae initio capitis hujus exhibui, apparebit, posteriora verba inde a *cumque ibi* ex hujus cap. XLIV. esse descripta; quod quidem adeo verum est, ut ope Suetonii cuivis in promtu sit demere ex Orosio mendum a librariis impositum, lege enim pro *Minocynobellinum* ex Suetonio *Adminium Cynobellini*, quem errorem nunc deprehensum video Casaubono in Commentariis ad Suetonium. Priora vero verba Orosii esse puto, in quibus me nonnihil retinuit locutio haec, *quaerere hostem viribus otiosis*, sed dissolvit me mox Joannes Sarisberiensis in Policratico libro VIII. cap. 18. ex quo didici, verba viribus otiosis esse referenda ad sequentia, & totum locum forte ita legendum, ut habet ille Joannes *Magno & incredibili apparatu profectus est hostem quaerere, otiosisque viribus Germaniam Galliamque percurrens in ora Oceani circa prospectum Britanniae substitit.* Solet tamen verba ipsa non semper sequi hic imitator. Veruntamen molestior scrupulus est, quem injicit idem Joannes. Non enim Regem Britannorum *Cynobellinum* nominat aut filium ejus *Adminium*, ut Suetonius, aut *Minocynobellinum*, ut Orosius, sed *Belinum* vocat, *nisi quod* BELINUM *Britannorum Regis filium, quem Pater expulerat, cum paucis in*

deditionem accepit. Hanc Scripturae varietatem cum viderem, coepi mecum dubitare, an non corrupte nunc legeretur & Patris & Filii nomen tam apud Suetonium, quam apud Orosium, qui tamen Orosius Patris nomen non memorat, non suo sed librariorum errore, & suspicarer verum utriusque nomen Gerardum Noviomagum nobis servasse in Historia Batavorum, quae edita est a Scriverio in Batavia illustrata, nisi & Cynobellini nomen haberet Dion libro LX. pag. 678. In nummis quoque ostendit Ascus Civis Londinensis, quos nummos depinxit Camdenus in Britannia, in quibus CUNOBILIN. & CUNOBILINE vide pag. 321. & 343. is autem Gerardus pag. 67. atque eo capite, quo nomina Regum ac Principum Batavorum enumerat Patrem *Bellinum* vocat, Filium *Adminocinum*, quae nomina videtur ex antiquis libris hausisse; nam tametsi in eo sequitur Beroaldum in Enarrationibus ad Suetonium in Caligula cap. XLIV., quod hos Batavos facit, dissidit tamen ab eo in illorum nominibus designandis. Imo quasi praeterito Patris nomine, ut librarii Orosii, Filium *Minocynobellinum* appellat atque ita Suetonii verba legit. *Nihil autem amplius, quam Mincynobellino Batavorum Regis Filio.* Hoc adde, dum monet Camdenus in Britannia, pag. 299. Bellini nomen in Insula hac frequens fuisse. Fuit & libertorum nonnullorum nomen praesertim in Gallia, vide Gruteri Inscript. pag. DCCCXXXVII. n. 12. DCCCCXVIII. n. 13. DCCCCXXXIII. n. 1. lapidis primi & tertii titulum, vidit etiam at emendatiorem exhibuit Gudius, vide Inscriptiones ejus pag. CCLXXXVII. n. 8. & pag. CCCXLIII. n. 11. Lapides illi Viennae Allobrogum & Nemausi exstiterunt. An & huc *Apollo Belenus* pertinet Gallorum, Illyricorum & Aquileensium Deus? de quo Vinetus ad Ausonium in Professoribus carmine IV. v. 9. Reinesius in Commentariis ad Inscriptiones suas Class. I. n. 51. Salmasius ad Vopiscum in Aureliano cap. XXXIX? Verum Cluverius securus eorum, quos Orosius Auctores habet, securus etiam eorum, quae expendi in primis debent in Scriptoribus antiquis, id sibi ad probandum, Caligulae in Britanniam conatum esse in Morinis susceptum, sufficere arbitratur, quod Orosius dicit eum Imperatorem in ora Oceani circa *prospectum Britanniae* restitisse. His enim diserte id ostendere Orosium dicit. Credo quod prospectum Britanniae nulli alii loco, quam Morinis convenire est arbitratus, quia istic brevissimum inter Galliam & Britan-

tanniam intervallum noverat. Sed velim cogitasset, neque enim ignotum fuisse puto, cum prospectum dicunt Geographi & prisci Scriptores, non eos breve semper & exiguum aliquod spatium, & tale quod oculorum nostrorum acumini subjicitur, indicare, sed haud raro longum, imo longissimum. Non moror in re notissima. Ipse Orosius libro I. cap. 2. insulas Britanniam & Hiberniam ad prospectum Hispaniae sitas esse scribit. *Et quoniam Oceanus*, inquit, *habet insulas, quas Britanniam & Hiberniam vocant, quae in aversa Galliarum parte* AD PROSPECTUM HISPANIAE *sitae sunt.* Nemo tamen inde contenderit, Britannos visu contigisse Hispaniam. Sed fac prospectum hic oculorum visum atque adspectum notare, non erraverit Orosius, certe non ex sententia Strabonis, qui libro IV. pag. 193. Littus Britannicum & Cantium visu contingi potuisse ad Rhenum tradit πρόκειται δ' αὐτῶν ἡ Βρεττανικὴ, ὃ μὲν Ῥήνῳ καὶ ἐγγύθεν, ὥστε καθορᾶσθαι τὸ Κάντιον, ὅπερ ἐστὶ τὸ ἑῷον ἄκρον τῆς νήσου. *Est eorum Sequanae & Rheni ostiis objecta Britannia, Rheno vicinior, ita ut* CANTIUM, *quod est Orientale Insulae promontorium*, APUD OSTIA EJUS CERNI POSSIT. Verum frustra operam insumimus rei certae & liquidae. Ipse namque Orosius libro I. cap. 2. ubi de Rhutubi portu in Britannia, quo nomine eum quoque Beda appellat in Historia Ecclesiastica gentis Anglorum libro I. cap. 1. Rutupiae aliis dicitur, addit Beda sua aetate *Repta-cester* vocari, nostra vero *Richborrow* vocatur, estque prope Sandvicum in Cantio. in hunc modum autem Orosius. *Unde haud procul a Morinis in Austro positos Menapios* BATAVOSQUE PROSPECTAT. eadem vetus Geographus, qui Aethici nomine circumfertur, atque a Cl. Viris Jacobo & Abrahamo Gronoviis patre & filio, una cum Pomponio Mela est editus in Cosmographia pag. 730. Uter autem utrum compilarit, nescio, utrique praeluxit Mela libro III. cap. 6. n. 40. *Ceterum ut adhuc habuimus inter Septentrionem Occidentemque projecta Britannia, grandi angulo* RHENI OSTIA PROSPICIT; *Deinde obliqua retro latera abstrahit, altero Galliam, altero* GERMANIAM SPECTANS. Cum ergo circa prospectum Britanniae restitisse dicitur Caligula, aeque in Batavia ac in Morinis restitisse videri potest. Sed addit Cluverius *portum in hoc littore, ex quo uno Romani in Britanniam transmissuri solvere jam inde a Julii Caesaris in eam insulam expeditione consueverunt, fuisse in Morinis Iccium, qui postea Gessoriacus & Bononia, supra in Morinis docui.* Unum ergo trajectum ex Gallia

in

in Britanniam Cluverius censet fuisse, at vide, quantum discrepat a Strabone, qui libro IV. pag. 199. τέτταρα δ' ἐστὶ διάρματα, οἷς χρῶνται συνήθως, ἐπὶ τὴν νῆσον ἐκ τῆς ἠπείρου τὰ ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τῶν ποταμῶν τοῦ τε Ῥήνου, καὶ τοῦ Σηκοάνα, καὶ τοῦ Λείγηρος, καὶ τοῦ Γαρούνα. QUATUOR *sunt usitati e continente in Insulam* TRAJECTUS, *nimirum ab ostiis fluminum Rheni, Sequanae, Ligeris & Garumnae.* Scio, quae mox de more solventium ex portu Rheni addit Geographus, sed ea non absolvunt erroris Cluverium. Et quanquam a Rheno trajecturi in Britanniam, pro consuetudine Veterum littora legentium, prius cursum ad Morinos direxerunt, quod eo in loco transmissus in Insulam brevissimus erat, non tamen existimem, ob id Caligulam specie trajecturi in Insulam, naves in Morinis, sed in Batavorum Insula, ut ceteros a Rheno in Insulam navigantes, conscendisse.

Non validius est argumentum, quod de ruderibus turris Bononiensis a Carolo Magno reparatae atque a se conspectae addit. Facile namque largior Bononiae in portu nobilissimo & frequenti turrim fuisse Phari, dummodo similis turris Batavis non eripiatur. Constat namque ex Plinio libro XXXVI. cap. 12. compluribus locis ejusmodi turres fuisse. *Usus ejus*, loquitur de Pharo Aegypti, *nocturno navium cursui ignes ostendere ad praemunienda vada portusque introitum, sicut jam tales* COMPLURIBUS LOCIS *flagrant*, & ad plerosque portus flagrasse ex Ulpiano cognoscimus l. 10. D. de Incendio, Ruina, naufragio, in qua praesidis provinciae religiosa constantia effici jubet, *ne piscatores nocte lumine ostenso fallant navigantes, quasi in portum aliquem delaturi, eoque modo in periculum naves & qui in eis sunt, deducant, sibique execrandam praedam parent.* In opposito quoque littore Cantii, quae regio est Britanniae, Pharum nonnulli sibi deprehendisse sunt visi, vide Camdeni Britanniam pag. 263. Et sane plures & notissimae fuerint oportet, cum Herodianus in Historia libro II. cap. 4. rogi formam, quo Imperatores Romani cremabantur, Phari turribus, quas nemo ignoraret, adsimilat.

Illud addendum duxi hoc loco, quia prope Germaniam belli hoc ludibrium instituit Caligula, nonnullis Scriptoribus, certe Aurelio Victori, natam fuisse caussam credendi scribendique, in ipsam Germaniam, non autem in Britanniam scenam eam instructam fuisse. *Neque secus*, inquit, *contractis ad unum legionibus spe in* GERMANIAM *transgrediendi, conchas, umbilicosque in ora maris Oceani legi*

legi jussit, certissimo adversus Cluverium argumento, haec accidisse in loco Germaniae transrhenanae & solo hostili proximo, qualis est extrema Batavorum Insula, non vero in Morinis. De Orosii vero sententia cum supra disputaverimus, observari velim Caligulam ab eo dici *percurrisse Germaniam*, non quod omnem cursu absolverit, cognovimus enim tetigisse eam tantum & a ripa non longe esse progressum, quare dicendum τὸ *per* hic ad celeritatem majorem significandam pertinere. Verum quid sibi Eutropius vult, cum Caligulam hunc *Sueviam* ingressum prodit in Breviario libro VII. cap. 12. *Bellum contra Germanos suscepit, & ingressus* SUEVIAM *nihil strenue fecit*. Scio Amplissimos fuisse Suevorum fines, eosque trans Rhenum in Gallias esse traductos, si lectione Suetonii in Augusto cap. XXI. damnata dudum Casaubono, Graevio aliisque eruditissimis Viris, stamus, sed ignoro eos in Batavia aut inter Flevum & Rhenum habitasse. Quare non immerito vox suspecta fuit Viris doctis, Glareanus autem pro *Suevia* substituit *Bataviam*. Dudum inolevit haec macula, quam & Graecus Interpres non evitavit, ita namque vertit οὗτος πόλεμον ἐπαγαγὼν τοῖς Γερμανοῖς ἀνεχώρησε μὲν ἐκ τῆς μάχης αἰσχρῶς. *Hic illato bello Germanis rediit turpiter* EX ACIE. Sed num Caligula praelium in Germania commisit? Hoc nemo Scriptorum veterum prodidit, neque etiam Eutropius, ut puto. Scio, & Suetonius Auctor est in Caligulae vita cap. XLV. quod integrum supra descripsimus, paucos de custodia Germanos a Rheno in Germaniam trajecisse, ut quaedam belli species esset, sed Caligulam manum illic conseruisse aut aciem commisisse, ex quo eum rediisse dicit Interpres Eutropii, non memini, imo & credere vetant, quae Suetonius cap. LI. de eodem Caligula. *Cum trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter essedo faceret, dicente quodam, non mediocrem fore consternationem, sicunde hostis appareat, equum illico conscendit: ac propere versus ad pontes* (anne malis *propere reversus ad pontes*, pontes intelligit, quibus ex Batavia Rhenum trajecerat) *ut eos Calonibus & impedimentis stipatos reperit, inpatiens morae, per manus ac super capita hominum translatus est*. Suspicor inde, legisse Interpretem in suo, sed vitiato Eutropii codice, non *ingressus Sueviam*, sed *ingressus aciem*. Atque inde mox subiit & altera conjectura, vere scripsisse Eutropium *ingressus Aciam* vel *Auciam*, certe Chauci, qui & Chaci & Auci dicti creduntur, vide Altingii notitiam Germaniae inferioris in voce *Auchi* pag. 12., incoluerunt illam regionem, in quam

M pau-

paucos de Custodia Germanos hostium specie trajecerat & inde captivos duci jusserat. Nam & Chaci in antiqua Peutingerorum tabula prope Ostium Rheni memorantur, ubi Plinius libro IV. cap. 15. Chaucos collocat; ripis ejus fluminis proximos fuisse ex Tacito discimus Annalium libro I. cap. 38. Haud alia ratione *Chamavi*, etiam *Amavi* fuerunt dicti, atque inde *Ammava* pro Chamava in lapide Herculi Magusano consecrato, de quo infra capite ultimo, & sic *Chunni*, *Hunni*, *Unni*. Quae hoc capite protulimus, aperte, ut puto, turrim Phari ad Batavos ac medium Rheni ostium retrahunt & Cluverii argumenta diluunt. Junius haud dubie memoria lapsus, cum scripsit in Bataviae Historia cap. X. stultitiam Caligulae in gerendo hoc bello esse exagitatam a Seneca in Apocolocynthosi.

CAPUT IX.

Arx Britannica a Romanis extructa. Monumenta in ea inventa, sunt Romana. Nec Barbara navis, ut Junio visa, quae lapidi insculpta est. Caput hirsutum Rheni ostium referre docetur. Fluvii, certe ostia Fluviorum capitis forma pingebantur. Gemma Augustini, item Gorii & Salvinii exposita. Nummis Alexandri Magni & aliis lux affunditur. Danubius creditus in diversa maria effundi. Fontes & ostia fluviorum capita dicta. Caput eburneum radiatum exponitur. Nicolai Chevalieri inperitia. Fluvii Dii habiti & radiata corona insignes. Nummus antiquus Illustratus. Montis Pionis *ad Ephesum foecunditas. Hic inter memoranda Ephesii agri narratus. Cenchrius amnis. Seguini, Brunotii, Jacobi Gronovii, Harduini sententiae non placent. Parietes aedium cujusmodi figuris ornati. Annus arcis Britannicae conditae demonstrari non potest. Extructa a Claudio Imperatore, diruta a Brinione, reparata a Severo & Caracalla. Fabulis, certe famae vetustae non prorsus fides deroganda. Chronicorum Scriptores nonnulli*

nulli plura monumenta habuerunt, quam nos hodie. Colinus usus monumentis, quibus nos hodie caremus. Ara ad Brittenburgum inventa diligentius exigitur. Mutila est sed suppleta a Viris doctis. Annus Consulatus Caracallae corruptus in ea. Gudii lapis corruptus. Arae illi quid desit. Videtur arx & ara eundem Auctorem habuisse. Eadem utriusque fata. Brinio quo tempore res novas molitus in Batavorum Insula. Legio XXX. instituta a Trajano. Ad Brittenburgum hiberna Cohortium Castra fuisse videntur. Fuerunt haec Castra in terra Caninefatum. Barbari Victores soliti aras & omnia Romanorum monumenta per suas terras posita diruere. Opera Drusi a Germanis disjecta. Cluverius & Altingius aram ad Brittenburgum a Druso positam existimant. Horum sententia refutatur. Caninefates post Drusi exitum a Tiberio domiti. Vellejus Paterculus emendatus & illustratus. Nomina Barbara in Romanis Scriptoribus mendosissima. Inguiomerus Cheruscorum Dux, clade Romanorum nobilis, olim eorum partes secutus. Vellejus adulatione Tiberii, laudes Germanici elevat. Ara ad Brittenburgum tanquam meta victoriarum in ultimis terris & fine expeditionis posita. Talis fuit ara Drusi prope Visurgim. Locus hujus arae inquiritur. Vocis restitutae *sensus. Solent voces ad diversa relata diversum notare. Dukerus & Graevius* laudati. *Justinus & Livius exponuntur.* Re *in conpositis abundat. Caussa & tempus arae ad Brittenburgum consecratae inquiruntur. Frequentes arae ad Rhenum cum publica, tum privata religione consecratae. Monumenta inedita Dordrechti extare dicuntur. Describitur ara inedita Herculis* Saxani. *Male Herculem* Saxsantum *nominavit Cuperus. Male is quoque lapidem Bergendalensem descripsit. Nonnullae arae ad-*

modum exiguae & rudes ad Rhenum. Omnes, saltem pleraeque ex lapide scabro, Duifsteen *in his oris nominant. Ara ad Brittenburgum non privata fuit. Fuit Imperii terminus. Tales quoque* arae Sestianae, *de loco harum diversa produnt veteres Geographi. inscriptae nomine Imperatoris. iis addita turris Phari. Similis ara & Pharus in Cantii littore in Britannia. Arae ab Alexandro passim in finibus expeditionum consecratae. Libamenta dedit Oceano Alexander. Lapis Brittenburgicus expositus. Nautae coronati, similiter naves. Herculis columnae ararum loco fuerunt. De aris Alexandri Appianus Alexandrinus. Alexandri nummi explicantur. Illius arae in multis locis. Tanais Europae Asiaeque terminus. Posuit columnas Bacchus in expeditione. Arae Philenorum. Tabulae Peutingerorum antiquae emendatae. Rheginorum Columna an Regia recte dicatur. Fallitur Isaacus Vossius. Columna ad pagum Monster in Batavorum Insula inventa an solum Milliarii lapidis usum praestiterit? Lapides finium indices majores fuerunt milliariis. Caninefatum fines signavit. Ad ingressum maris Mediterranei & ad Oceanum Herculis columnae positae, item in Oceano ad Frisiam. Cum his nec non cum Alexandri aris ad Indum ara Brittenburgica comparatur.*

Ostendimus ante cap. II. Arcem Britannicam, sive *het Huis te Britten*, a Britannis, qui ad eam habitarunt, nomen accepisse, reliquum nunc est, ut inquiramus, quo tempore, & quo Auctore ea condita, atque collapsa aliquando, deinceps sit instaurata. A Romanis extructam fuisse jam supra indicavimus. Idque monumenta & cascae Antiquitatis λείψανα ad Brittenburgum quondam inventa, atque a Junio, Scriverio, Parsio, Chevaliero depicta ostendunt, in quibus nullum est, quod barbarum populum aut barbaros mores refert. Scio navem exterioris parietis saxo insculptam barbaram

ram videri Junio; verum hujus sententiam tum pluribus refellemus, cum prisca Bataviae monumenta omnia ordine recensebimus. Caput quoque barbatum, quod quo referat Scriverius se ignorare profitetur, similiter Rhenum esse docebimus Romano more pictum; en formam ejus ex Petri Scriverii Tabulario antiquitatum Batavicarum pag. 187.



Fluvii namque ab hoc populo non forma tantum barbati Viri, sed etiam solius capitis barbati pingebantur, nisi quis existimet, non integros fluvios hoc capite designari, sed capita tantum eorum. Exemplum illustre praebet Gemma a Leonardo Augustino edita parte II. num. 30. quam hic exhibemus.



quo exemplo hic eo lubentius utor, quod & formam navis Gemma

 illa

illa habet non multum dissimilem ei, de qua agimus. Alterum exemplum suppeditarunt Gorius & Salvinius in Gemma Inscriptionibus Hetruriae inserta, tabula VI. num. 5.



Harum altera Nilum, altera Tiberim, aut saltem ostium aliquod fluviorum horum denotat. atque ex his lucem foenerandam censeo nummo subobscuro, certe usque adhuc non satis explanato, quem inter Contorniatos edidit Vir Clarissimus Sigebertus Havercampus num. XL. pag. 103.



in quo duo fluvii Tanais & Nilus, Asiam Africamque aut terrarum orbem domitum demonstrant, ut in aliis nummis Alexandri Magni ab eodem Viro editis Tabula I. num. 1. & 2. dedimus hic imaginem ejus.

Hinc









Hinc quoque exponunt nonnulli, certe Isaacus Vossius in Observationibus ad Pomponium Melam libro II. cap. 2. num. 50., nummum, in cujus altera parte legitur ΙΣΤΡΙΗΩΝ, quorum

ἡ πόλις
Ἴστρος ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἔλαβε τοὔνομα

Urbs
Istrus a fluvio accepit nomen.

Ut antiquus Poëta cecinit. Sunt autem in eo nummo duo capita diversum respicientia, quod hic fluvius in diversa maria exire credebatur,

tur, vide Plinium Naturalis Historiae libro III. cap. 18. Nummum praeter alios expressit Begerus in Thesauro Brandenburgico Tomo I. pag. 488. Non tantum autem Romani fontes amnium capita dicebant, sed & ostia. De Rheno Caesar in Commentariis Belli Gallici libro IV. cap. 10. *Ubi Oceano appropinquavit, in plures diffluit partes, multis ingentibusque Insulis effectis, quorum pars magna a feris barbarisque nationibus incolitur, ex quibus sunt, qui piscibus atque ovis avium vivere existimantur, multisque* CAPITIBUS *in Oceanum influit.* Interpres Graecus ita recte vertit πολλοῖς στόμασιν εἰσβάλλει εἰς τὸν ὠκεανὸν *multis Ostiis in Oceanum exit.* Locus hic dudum observatus est Petro Ciacconio in notis ad Pomponium Melam libro II. cap. 4. Invenit etiam Nicolaus Chevalier, si tamen homini fides, ad Brittenburgum caput humanum ex ebore factum densissima Barba, non dissimile ei, quod modo parieti inscriptum exposuimus, nisi quod eburneum hoc & corona radiata est redimitum; imaginem ejus exhibuit in *description de la Chambre de Raretez de la Ville d'Utrecht* tabula VI. n. 3. en tibi Tabula.



Inperite autem in explicatione Gallica bustum Severi Imperatoris nominat, & tamen inperitius caput alterum laureatum Juliae Domnae esse dicit, cum omnia in hoc Apollinem probent, illud autem Rheni caput esse puto. Neque abhorret ab hujus numine radiata corona, quae inter Deos omnes communis est, fluminibus autem tributam fuisse ostendit egregius nummus inter selectos Imperatorum editus a Seguino cap. IV. n. 25. in quo ΠΕΙΩ ΕΦΕCΙΩΝ vide hic nummum.

Addit





Addit in explicatione nummi hujus Seguinus adservari in Museo Regio nummum ejusdem fere typi, in quo ΠΕΙΩΝ pro ΠΕΙΩ. figura jacens capite radiato excipit guttas, quas pluviae in modum ex cornu depluit Jupiter residens in monte. Montem hunc Piona existimo, cujus numen forma Jovis exhibetur, quod hic proprius Montium Deus, haud dubie a foecunditate nomen habet, hic mons amnem forte Cenchrium foecundabat, ut amnis agros vicinos. Nec mirum Ephesios montem hunc amnemque numismatis suis celebrasse; cum & Pausanias in Achaicis libro VII. cap. 5. pag. 535. inter memoranda agri Ephesini, montem hunc & Cenchrium amnem, & Halitaeam fontem recenseat. An haec, quae ad illustrandum hunc nummum dixi, in mentem aliis venerint nescio, hoc scio Seguino, Abbati Brunotio in Indice Regiorum numismatum, nec non Gronovio in notis ad Pomponium Melam libro III. cap. 1. longe alia placere. Joannes Harduinus in nummis Antiquis populorum & urbium, saltem in ea editione, qua utor ΠΙΟC & ΠΕΙΟC scriptum exhibet, quae scriptura si vera, de qua vehementer dubito, ipse damno sententiam meam. Sed judicent alii, quibus aut nummi copia, aut acetum in pectore est. Cur autem Rheni, aut ostii ejus simulacrum parietibus Brittenburgi fuerit insertum, nemo quaeret, qui ex Vitruvii libro VII. cap. 5. didicerit, solitos fuisse veteres certe peritiores exornare parietes imaginibus loco atque aedificii officio aptis. Tametsi autem certis indiciis colligitur, a Romanis, non vero a Britannis aut Bataviae Insulae Incolis extructum esse Brittenburgum, teste tamen certo demonstrari non potest, a quo aut quibus Consulibus arx haec condita primum fuerit. Fama tamen & arae, in ruinis ejus inventae, argumento ducimur, a Claudio Imperatore esse fundatam, mox a Brinione Caninefatum Rege dirutam, a Septimio Severo reparatam, & tandem ab Antonino Caracalla iterum dedicatam. Famam

N

mam antiquitus fuisse, quae Claudium Auctorem loquebatur, vetusta Batavorum Chronica declarant. Neque autem famae aut Chronicis de rebus antiquis per has terras gestis fides omnis deroganda est, praesertim si ea Romanis Scriptoribus aut monumentis antiquis non adversantur. Credo namque antiquorum Chronicorum Scriptores pluribus monumentis instructos fuisse, quam nos hodie. Ea autem, quae fuerunt olim, fabulis inquinarunt, non tamen ita corruperunt, ut verum rationis & monumentorum ope, quorum nonnulla memoria nostra sunt eruta, indagari nequeat. Exemplo sit fama de ludo litterario in Batavia, aliisque, de quibus deinceps dicetur Capite ultimo. Hoc perspicimus ex Colino, ejus aetate in Monasterio Egmondano multa superfuisse, quibus hodie destituimur. Ara autem, de qua diximus, ita habet.

TANNIC. GERMANIC. PIVS FELIX AVGVSTVS
MAX. TRIB. POT. XVIII. COS. III. P. P. IMP. III.
RAM A DIVO CLAVDIO ET POSTEA
ERO PATRE SVO RESTITVTAM.

Descripsit hunc lapidem Hubertus Goltzius, atque acceptum ab eo exhibet Hadrianus Junius in Historia Bataviae, sed interpolatum a se. Mutilam enim hanc inscriptionem in lapide conspectam a Goltzio certum est, & talem etiam oculis exponit Scriverius in Tabulario Antiquitatum Batavicarum pag. 180. qui & addit hoc modo eam a Viris doctis expletam esse, inter quos est Adolphus Occo in Numismatis Imperatorum Romanorum, eo in loco, ubi Antonini Caracallae nummos recenset.

IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS
BRITANNIC. GERMANIC. PIVS. FELIX. AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII. COS. IIII. P. P. IMP. III.
ARAM. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA
A. DIVO. SEVERO. PATRE. SVO. RESTITVTAM.

Non tamen audet affirmare Scriverius hoc pacto eam suae integritati omnino restitutam; tametsi autem prima & media Historiae, & usui hujus temporis, quo positus est lapis, apprime conveniunt, consulatus etiam quartus pro tertio vere repositus, ut respondeat

Tri-

Tribunitiae potestati XVIII. nec abhorret Imp. III. (videat autem Ligorius, quomodo defendat illa IMP. VI. COS. III. in lapide, quem ex ejus scedis descripsit Gudius & in hujus Inscriptionibus exhibuit Hesselius pag. XXXVII. n. 4.) eadem tamen & omnia esse, quae a Caracalla inscripta fuerunt, adseverare non liquet, imo finem tituli deesse puto, quo continebatur, quid ipse Caracalla in hac ara perficienda praestiterat. Scio potuisse fieri ut ara, ex qua de arcis conditore judicamus, alium conditorem habuerit, alium arx, quia tamen idem Auctor, qui arae est inscriptus, famae de Auctore arcis & priscis Hollandiae annalibus respondet, fataque arcis & arae conveniunt, merito suspicamur, eundem utrique auctorem contigisse. Ita namque ara disjecta est & dein restituta: Similiter arx diruta a Brinione fuisse dicitur Colino, cujus versus supra descripsimus. cap. I. Brinio autem incitatus a Claudio Civile Batavo defecit a Romano Imperio Vespasiano Principe, aut saltem de Principatu certante. Restitutam autem fuisse intelligimus arcem, quia diu superfuit, quoad tandem sive ab hostibus sive ab Oceani undis hausta periit. Adde tegulas inventas in arce ea, quae legionem trigesimam titulo praeferunt. Ea autem legio instituta demum est a Trajano, vide Dionem Cassium libro LV. pag. 564. atque adeo diu post deletam semel sub Vespasiano patre arcem. Nihil etiam habet haec sententia, quod a Tacito discrepat, qui ita de Brinione Historiarum libro IV. cap. 15. *Erat in Caninefatibus stolidae audaciae Brinio claritate natalium insigni. Pater ejus multa hostilia ausus Cajanarum expeditionum ludibrium omnino spreverat. Igitur ipso rebellis familiae nomine placuit, impositusque scuto more Gentis, & sustinentium humeris vibratus dux deligitur. Statimque accitis Frisiis (transrhenana Gens est) duarum cohortium hiberna proxima occupatu Oceano irrumpit. Nec praeviderant impetum hostium milites: nec si praevidissent, satis virium ad arcendum erat. Capta igitur & direpta Castra, dein vagos & pacis modo effusos lixas negotiatoresque Romanos invadunt. Simul excidiis Castellorum imminebant, quae a praefectis Cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant.* Docet in his Tacitus Brinionem adjutum auxiliis Frisiorum, qui in opposita ripa habitabant, duarum Cohortium hiberna occupasse, castella autem, quae per illa loca erant, incensa fuisse. Ad castella autem, an ad hiberna Cohortium castra referendum sit Brittenburgum nescio, malo tamen ad hiberna referre, quia haec proxima occupatu &

mam antiquitus fuisse, quae Claudium Auctorem loquebatur, vetusta Batavorum Chronica declarant. Neque autem famae aut Chronicis de rebus antiquis per has terras gestis fides omnis deroganda est, praesertim si ea Romanis Scriptoribus aut monumentis antiquis non adversantur. Credo namque antiquorum Chronicorum Scriptores pluribus monumentis instructos fuisse, quam nos hodie. Ea autem, quae fuerunt olim, fabulis inquinarunt, non tamen ita corruperunt, ut verum rationis & monumentorum ope, quorum nonnulla memoria nostra sunt eruta, indagari nequeat. Exemplo sit fama de ludo litterario in Batavia, aliisque, de quibus deinceps dicetur Capite ultimo. Hoc perspicimus ex Colino, ejus aetate in Monasterio Egmondano multa superfuisse, quibus hodie destituimur. Ara autem, de qua diximus, ita habet.

TANNIC. GERMANIC. PIVS FELIX AVGVSTVS
MAX. TRIB. POT. XVIII. COS. III. P. P. IMP. III.
RAM A DIVO CLAVDIO ET POSTEA
ERO PATRE SVO RESTITVTAM.

Descripsit hunc lapidem Hubertus Goltzius, atque acceptum ab eo exhibet Hadrianus Junius in Historia Bataviae, sed interpolatum a se. Mutilam enim hanc inscriptionem in lapide conspectam a Goltzio certum est, & talem etiam oculis exponit Scriverius in Tabulario Antiquitatum Batavicarum pag. 180. qui & addit hoc modo eam a Viris doctis expletam esse, inter quos est Adolphus Occo in Numismatis Imperatorum Romanorum, eo in loco, ubi Antonini Caracallae nummos recenset.

IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS
BRITANNIC. GERMANIC. PIVS. FELIX. AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII. COS. IIII. P. P. IMP. III.
ARAM. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA
A. DIVO. SEVERO. PATRE. SVO. RESTITVTAM.

Non tamen audet affirmare Scriverius hoc pacto eam suae integritati omnino restitutam; tametsi autem prima & media Historiae, & usui hujus temporis, quo positus est lapis, apprime conveniunt, consulatus etiam quartus pro tertio vere repositus, ut respondeat Tri-

Tribuniciae potestati XVIII. nec abhorret Imp. III. (videat autem Ligorius, quomodo defendat illa IMP. VI. COS. III. in lapide, quem ex ejus scedis descripsit Gudius & in hujus Inscriptionibus exhibuit Hesselius pag. XXXVII. n. 4.) eadem tamen & omnia esse, quae a Caracalla inscripta fuerunt, adseverare non liquet, immo finem tituli deesse puto, quo continebatur, quid ipse Caracalla in hac ara perficienda praestiterat. Scio potuisse fieri ut ara, ex qua de arcis conditore judicamus, alium conditorem habuerit, alium arx, quia tamen idem Auctor, qui arae est inscriptus, famae de Auctore arcis & priscis Hollandiae annalibus respondet, fataque arcis & arae conveniunt, merito suspicamur, eundem utrique auctorem contigisse. Ita namque ara disjecta est & dein restituta: Similiter arx diruta a Brinione fuisse dicitur Colino, cujus versus supra descripsimus. cap. I. Brinio autem incitatus a Claudio Civile Batavo defecit a Romano Imperio Vespasiano Principe, aut saltem de Principatu certante. Restitutam autem fuisse intelligimus arcem, quia diu superfuit, quoad tandem sive ab hostibus sive ab Oceani undis hausta periit. Adde tegulas inventas in arce ea, quae legionem trigesimam titulo praeferunt. Ea autem legio instituta demum est a Trajano, vide Dionem Cassium libro LV. pag. 564. atque adeo diu post deletam semel sub Vespasiano patre arcem. Nihil etiam habet haec sententia, quod a Tacito discrepat, qui ita de Brinione Historiarum libro IV. cap. 15. *Erat in Caninefatibus stolidae audaciae Brinio claritate natalium insigni. Pater ejus multa hostilia ausus Cajanarum expeditionum ludibrium omnino spreverat. Igitur ipso rebellis familiae nomine placuit, impositusque scuto more Gentis, & sustinentium humeris vibratus dux deligitur. Statimque accitis Frisiis (transrhenana Gens est) duarum cohortium hiberna proxima occupatu Oceano irrumpit. Nec praeviderant impetum hostium milites: nec si praevidissent, satis virium ad arcendum erat. Capta igitur & direpta Castra, dein vagos & pacis modo effusos lixas negotiatoresque Romanos invadunt. Simul excidiis Castellorum imminebant, quae a praefectis Cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant.* Docet in his Tacitus Brinionem adjutum auxiliis Frisiorum, qui in opposita ripa habitabant, duarum Cohortium hiberna occupasse, castella autem, quae per illa loca erant, incensa fuisse. Ad castella autem, an ad hiberna Cohortium castra referendum sit Brittenburgum nescio, malo tamen ad hiberna referre, quia haec proxima occupatu

N 2 Oceano

Oceano dicit: utrumque verum de Brittenburgo, quae arx si a turri Phari discesseris, castrorum castellorumque omnium proxime ab Oceano abfuit. Fuerunt autem haec Brittenburgi Castra proxima occupatu Caninefatibus, quod arx haec in Caninefatum terra sita erat. Ut autem invisa fuerunt maximopere Romana monumenta omnia Barbaris, ita non castella tantum sed & aras Romanorum Diis & Imperatoribus inscriptas everterunt, sic namque & aras Drusi & alia ejus opera Germani disjecerunt, vide Tacitum Annalium libro II. cap. 7. Quod si autem vera est Cluverii libro II. cap. 3. pag. 181. & Altingii opinio in voce ARA AD RHENI OSTIUM non a Claudio primum sed a Druso instituta est haec ara ad Brittenburgum. Verum non alia ratione in hanc sententiam compulsi sunt Viri docti, quam quod a Claudio & Severo aram restitutam legerent, inde namque ab alio ante Claudium institutam sunt opinati. At vero non animadverterunt Viri illi, Caninefates, in quorum terra arx sita fuit, demum post Drusi mortem in ditionem populi Romani venisse, subactos a fratre ejus Tiberio. Testatur hoc Vellejus Paterculus, qui rerum Tiberii in Germania gestarum spectator & adjutor fuit libro II. cap. 105. Sed libri editi verba ejus corrupte exhibent, quocirca damus ea ex Codicibus Antiquis, ut veram sententiam restituamus. *Neque verbis exprimi, & fortasse vix mereri fidem potest, intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuarii, Bruteri recepti Cherusci, Gentes, &* INAMNINUS *mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis, penetrata ulteriora.* Nemo non videt & monuerunt pridem Viri docti *Inamninus* in mendo cubare, ut loca pleraque, in quibus nomen Barbarum. Hoc modo autem & nomen illud repono & verba distinguo. *Intrata protinus Germania: subacti Caninefates; Attuarii, Bruteri recepti, Cheruscae Gentis & Inguiomerus, mox nostra clade nobilis. Transitus Visurgis, penetrata ulteriora.* Inguiomerus ille Cheruscorum Dux & Patruus Arminii memoratus saepe est Tacito. Quemadmodum autem clade Romanorum nobilis evaserit, idem tradit Annalium I. cap. 66. 67. 68. & libro II. cap. 20. & 21. de eodem hoc Inguiomero Maroboduus apud eundem Tacitum Annalium II. cap. 46. *Illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta, quae prospere ceciderint,* ipsique Arminio anteponit. Videtur autem hic Inguiomerus eo tempore, cum Tiberius Germaniam est ingressus, Romanorum partes secutus, a quibus deinceps Germanico bellante descivit, vide

Anna-

Annalium libro I. cap. 60. *Conciti per haec non modo Cherusci, sed conterminae Gentes, tractusque in partes Inguiomerus, Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate, unde major Caesari metus.* & quanquam victoria a Romanis stetit, victo semel iterumque Inguiomero, quia tamen trepidatum est in illorum castris obsessis, Vellejus foedissima Tiberii adulatione Germanici has laudes, cujus ductu res gesta est, elevat.

Verum si a Druso primum condita ara est, ut Cluverius & Altingius existimant, cur Drusi nomen ei inscriptum non fuit? Num is indignior auctor, quam Claudius? Imo cum haec ara earum genere fuisse videtur, quae in finibus expeditionum ponebantur, tanquam victoriarum & prolati Imperii metae; Drusus non in Rheni limite, quem longe post se reliquit, sed ad Visurgim amnem ejusmodi aram extruxit. Et ne de ea dubites, memorat eam Tacitus Annalium II. cap. 7. tropaeis ejus etiam locum adsignat Ptolemaeus ad Visurgis fontes. Dionem tamen si legeris libro LV. sub initio, dicas ad Albim erecta. Credo tamen intra Visurgim tropaea & aram statutam in terra magis pacata, ut Claudii & Caligulae, Severi & Caracallae ara intra Rhenum, in Caninefatum regione, tametsi Rhenum hi omnes transierant.

Quod autem ad vocem *restituta* attinet, non necesse est, ut, cum ad duos referenda, Claudium nempe & Severum Imperatores, ad utrumque eodem plane sensu referatur. Nam & in hanc sententiam exponi potest, ut statuerit aram Claudius, restituerit Severus. Non enim infrequens illud est in scriptis monumentisque Antiquorum illud verbum ad duo pluraque referri, sed non eodem sensu, verum cum ea potissimum voce construendum, cui proxime adhaeret, verbum autem aliud mente ac cogitatione substituendum, quod cum reliquis conveniat. Tu vide, quae de hac re notarint Viri celeberrimi Carolus Andreas Dukerus ad Florum libro II. cap. 7. n. 8. nec non ipse & Graevius ad eundem Florum libro III. cap. 21. n. 25. Exempla nullus desiderabit, qui versatus fuerit in Scriptorum vetustorum monumentis, quare ea hoc loco omittimus, Livius quoque libro XXXVI. cap. 17. *Condidit*, inquit, *se intra rupes: ne ante fauces quidem saltus*, ut quondam Lacedaemonios fama est, sed intra *penitus* RETRACTIS *castris.* Ubi τὸ re prioris membro parum convenit, notante Dukero. Et minus est mirandum id vocibus fieri ex re compositis, siquidem haec syllaba haud

N 3 raro

raro apud veteres abundat, ut praecepit Donatus ad Terentium in Andria Actu III. 2. 19.

De caussa autem & tempore consecratae a Claudio Severo Antoninoque arae nihil ex Scriptoribus antiquis proferri potest. Speramus autem nobis fraudi non fore, si illa, quae de iis in mentem venerunt, narraverimus, sed strictius nunc de caussa, quia haec deinceps exponetur pluribus, cum monumenta Bataviae antiquae peculiari volumine illustrabimus. Ararum magna olim copia fuit ad Rhenum, quae quidem inde ab instauratis litterarum studiis fuerunt inventae, extant apud Gruterum & Reinesium. Aliae a Gallis Germanisque Rheni accolis, aliae a militibus, aliae a Ducibus, nonnullae etiam ab Imperatoribus Romanis sacratae sunt, cum Romanorum, tum Barbarorum Dis.

Vidi & descripsi ipse nonnullas, titulum unius haud ita pridem mecum communicavit Vir Juris Romani pariter ac Patrii Peritissimus, neque a litteris nostris alienus Joannes Roukens, qui servavit aram a nauta inter lapides, ex quibus in Hollandia calx caementitia conteritur, Neomagum deportata, cujusmodi in usum alii lapides ex Germania superiore devecti dicuntur hodie extare Dordrechti in Hollandia. Inscriptio arae, quae in Roukensii aedibus visitur, haec est.

HERCULI SA
XANO :
COELIUS .
MARCELLVS 7
LX GETGVEO
COMMIL ITO
NES V S L M

Ex hac autem ara aliisque aliquando numen Herculis Saxani illustrabimus, quem Herculem Saxsantum nominabit, qui fidei Illustris Cuperi, qua se lapidem agri Clivensis descripsisse memorat in Monumentis antiquis pag. 208. plus credit, quam nobis. Nam si qua meis & amicorum complurium oculis fides, ad quos exegimus semel iterumque illius Viri magni adseverationem, non SAXSANTO sed SAXSANO in lapide scriptum fuisse sibi persuadebit; neque aliter edidit

edidit Doctissimus Hagenbuchius, qui haud ita pridem ad eum commentarium scripsit. Plurimae ad Rhenum privata religione atque ex voto sunt consecratae, quare & disjectae semel, deinceps raro, si tamen unquam, restitutae leguntur. Imo nonnullae inter eas admodum exiguae sunt & vix privatae elegantiae, ex lapide aspero & scabro, qui ad Antunnacum hodie Andernach exciditur, & olim ad usum condendorum aedificiorum, ut ex antiquissimis per has oras extructionibus intelligitur, fuit adhibitus, nunc autem, ut modo dixi, in calcem comminuitur, & a nostratibus *Duifsteen* appellatur, credunt Latine tophos dici. Ex quo autem lapidis genere & qua arte illa Claudii ara perfecta fuerit, ignoro, titulus vero & Imperatorum nomina inscripta eum a privatis sejungunt. Quia autem ad Oceanum sita est atque ad Rhenum, duos Imperii Romani terminos, ex illarum Ararum genere fuisse puto, quibus veteres terminos & fines cum Expeditionis suae, tum Imperii designabant. Unde ad Oceanum plures ejusmodi arae Romanorum. De hoc namque Populo Poëta

Imperium OCEANO, *famam qui terminat astris.*

Tales certe illae Arae Sestianae in Hispania, sive eae fuerint in Asturum littore, ut Mela scribit libro III. cap. 1. n. 94. sive in Tamoricorum peninsula, ut Plinius libro IV. cap. 20. sive in Artabrorum regione, ut Ptolemaeus, ad Oceanum utique in extrema Hispania atque ad eum locum, qui *Cabo finis terrae* hodie appellatur, ut intelligas in ultimo orbis recessu esse. Harum autem ararum tanto libentius hoc loco memini, quia arae nostrae simillimae sunt. Nam ut haec Claudii aliorumque Imperatorum nomen inscriptum habet, ita illae Augusti: atque ut turris Phari huic, ita & illis turris, quam Phari usum habuisse supra diximus, vicina. Non omittenda quoque Ara sive Phari turris in Cantii littore in Britannia, in quo eodem littore locus Anglis *Stone-end* dictus, ut intelligas aram sive lapidem ad signandum ultimae terrae limitem fuisse positum, vide Gulielmum Camdenum in Britannia pag. 263. De aris Alexandri Justinus libro XII. cap. 10. *expugnata deinde urbe reversus in naves Oceano libamenta dedit, prosperum in Patriam reditum precatus, ac veluti curru circa metam acto, positis* IMPERII TERMINIS, *quatenus aut terrarum solitudines prodire passae sunt, aut ma-*

re navigabile fuit, secundo aestu ostio fluminis Indi invehitur. Ibi in monumenta rerum a se gestarum Urbem Barcen condidit ARASQUE *statuit.* Etiam hic locus magis insignis & ad illustranda Brittenburgi monumenta idoneus, quod praeter aras etiam mentionem facit libamentorum Oceano datorum ad Indi fluminis exitum. Eadem namque libamenta ad Brittenburgum & Rheni ostia data significat lapis ex parietibus arcis resolutus, in quo homo stans in navi dextera protensa patera aliquid invergit, sinistra coronam praefert, eo fere habitu quo tradit Virgilius Aeneidos V. v. 774.

Ipse, caput tonsae foliis evinctus olivae,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, & vina liquentia fundit.

Lapidis imaginem ob oculos ponit Junius in Bataviae Historia pag. 116. tu vide Tabulam nostram.



Corona autem, quae altera manu gestatur ex earum genere est, quibus nautae & naves ipsae ornabantur, cum portum subibant, aut inde cursum instituebant. Quanto magis verisimile est, non Barbarum morem hanc navem referre, de quo supra coepi dicere. Quisque autem perspicit, quam pulchre haec competant portui ad Brittenburgum & Rheni ostium. Infinita porro sunt, quae de similibus aliorum aris cum ex sacris Hebraeorum, tum Graecorum Romanorumque litteris in medium adferre licet, sed nunc parco iis, atque hoc tantum dico, non alias fuisse, aut aliam ob caussam statutas Herculis Columnas, tametsi minime latent, quae Poetae & eorum Enarratores antiqui de iis fabulantur. Columnae autem ut hae, sic aliae, nomine aræ frequenter dicuntur, quia nonnunquam altissime extruebantur. De aris Alexandri Arrianus de expeditione ejus libro V. pag. 374. Ἐνθα δὴ διελὼν κατὰ τάξεις τὴν στρατιὰν δώδεκα βωμοὺς κα-

τα-

κατασκευάζειν ἐκέλευσε. ὕψος μὲν τῶν μεγίστων πύργων. Εὖρος δὲ μείζονας ἔτι ἢ κατὰ πύργους. Χαριστήρια τοῖς ἐς τοσόνδε ἀγαγοῦσιν αὐτὸν νικῶντα, καὶ μνημεῖα τῶν αὐτοῦ πόνων.

Eo loci diviso per ordines exercitu duodecim aras extrui jubet, altitudine quidem maximis turribus pares, latitudine, quam quae turrium est, majores. Quibus Diis gratias agebat, quod ipsum eo usque victorem perduxissent, & laborum suorum monumenta consecrabat. Atque hinc lux adfunditur vexatissimis Alexandri Magni nummis duobus, qui Patini, Eggelingii aliorumque ingenia exercuerunt, & haud ita pridem commentariis expositi sunt a Cl. Havercampo in Dissertationibus de Alexandri Magni Numismate, ut & de nummis contorniatis Tab. I. n. 1. & 2. in quibus duae arae, sive columnae ad significandum utrumque orbem Asiam & Europam (in has namque duas partes terrarum ambitum distinguebant Prisci) esse ab eo peragratum & domitum. Nummos hos supra exhibuimus, vide Tabulam pag. 95. Cetera, quae ad hos nummos illustrandos pertinent, dudum nobis in schedis exarata jacent. Alexander namque non tantum ad Orientem aras erexit, expeditionis & victoriarum metas & monumenta, sed & in Europa ad Occidentem & Septentrionem intra extraque Tanaim, ubi

Asiae metam posuit natura potentis,

ut canit Manilius libro IV. quare eum *extremum* dicit Horatius Carminum libro III. ode 10. & *terminum Gentium* Florus libro III. cap. 6. istic enim ad Riphaeos montes in Sarmatia Europea Alexandri aras collocat Ptolemaeus, unde haud longe absunt Caesaris arae, atque ad montes Hippicos in Suranorum regione Sarmatiae Asiaticae. Auctor tabulae antiquae, quam in Peutingerorum aedibus inventam Welserus edidit, ad amnem Oxum ponit, qui in Mare Hyrcanum influit, & alias sub extremo Oriente, ubi, haec videas, *Alexander responsum accepit. usque quo Alexander.* Praeclara in hanc rem sunt, quae de usu hoc antiquissimo ararum columnarumque disserit Strabo libro III. pag. 170. & 171. Sed locus prolixior est, quam ut hic inseratur, in quo & Bacchum olim ejusmodi columnas posuisse memoratur in sua ad Indos expeditione. Refert & huc Philaenorum aras ad Syrtem majorem Auctor Tabularum veterum ita, *arae Philenorum fines Africae & Cyrenensium*, sed scriptura minus emendata, quemadmodum & in finibus Syriae *Areae Fines Romanorum*, sed emenda *Arae.* male etiam Aras Philaenorum ad Syrtem

minorem ponunt) & Rheginorum columnam, quam *Regium* scribit Antonini itinerarium, quod displicet aliis; defendit tamen in Mela Vossius in observationibus ad hunc Geographum libro II. cap. IV. n. 7. fallitur autem, si putat, milliariam tantum columnam fuisse, & ad solum itineris spatium denotandum instructam esse, simul enim fines Italiae designavit, quare aliis milliariis lapidibus altior fuit & operosior. Similiter eos aestimare velim, qui oculis suis usurparunt Columnam, ad pagum Monster inventam, cujus titulum supra dedimus, an & Batavicarum rerum Scriptores fallantur, qui illam tantum spatii dignandi statutam arbitrantur. Certe autem falluntur illi, si vera est effigies ejus, quam Altingius prodidit in Notitia libro nobis memorata, parte I. in voce FORUM ADRIANI pag. 66. Omnibus enim, quae in his aliisque terris, si ab Italia discesseris, inventae sunt, speciosior est; ut columnae omnes, quae fines regionum indicabant, vulgares lapides milliarias magnitudine & specie vicerunt, quod & de territoriorum limitibus inter agros municipiorum & coloniarum docet Siculus Flaccus in libro de conditionibus agrorum. *Territoria, inter civitates, id est inter municipia & colonias & praefecturas, alia fluminibus finiuntur, alia summis montium jugis ac divergiis aquarum, alia etiam* LAPIDIBUS positis PRAESIGNIBUS, QUI A PRIVATORUM TERMINORUM FORMA DIFFERUNT. Rheginorum quidem illam columnam vulgaribus altiorem insignioremque esse ostendimus. Quae autem ad vicum Monster in Batavorum insula inventa est, eam Caninefatum regionem terminasse diximus. Quemadmodum autem Hercules ad fretum Herculeum, id est ad ingressum Maris Mediterranei in Oceanum; Alexander ad Indi in Oceanum ostia aras posuerunt, ita etiam Caligula & Claudius (de Caligula, qui aram destinavit, mox dicemus) eodem modo aram suam consecrarunt ad Rhenum amnem Indo non ignobiliorem, atque ad ejus in Oceanum decursum; neque longe ab aliis Herculis columnis, de quibus Tacitus de moribus Germanorum cap. XXXIV. *ipsum quinetiam Oceanum* (Oceanum dicit Frisiorum terras alluentem) *illa tentavimus, & superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit.* Quin & illud non dissimile Alexandri instituto fecit Caligula. Quemadmodum ille praeter aras & Indi ostia urbem statuit; vid. Justinum libro XII. cap. 13. & victoriarum monumentum, sic hic altissimam turrim ad Rheni ostia prope aram *victoriae excitavit*, ut testatur Suetonius, *indicium*

CA-

CAPUT X.

Destinavit aram ad Brittenburgum Caligula, perfecit Claudius. Caligula redux ex Batavorum Insula paulo post est occisus. Quo tempore Claudius in ea insula fuerit. Quo tempore aram consecrarit. Ortelii error. Caligulae nummi conflati ad abolendam ejus memoriam. Rhenus Imperii terminus tempore Claudii. Corbulo Chaucos vicit altero anno post Britannicum Claudii triumphum, qui ductus quarto Imperii anno. Veterum Poetarum poëmata ex Catalectis Scaligeri & Pithaei, de Claudii in Britanniam expeditione, semel iterumque castigata & illustrata. Spectata Britannia a Caesare, victa & triumphata Claudio. Patere in titulos *quid. Aperuit Britanniam Claudius. Iterum vetus Poeta correctus. Brinio disjecit aram simul cum Brittenburgo & Romburgo. Ara reparata a Septimio Severo & Caracalla. Annus restitutae arae incertus. Tribunitia potestas* XVIII. *Antonini incidit in quartum Consulatum & quartum annum Imperii. Quo tempore summis beneficiis Germanos demeritus sit Caracalla.* Cenni, *Gens Germanica victa a Caracalla. Interpres Dionis castigatus.* κέλται *Dioni Germani dicuntur. Incertae sedes Cennorum, an* Kennarii *vel* Kennemarii *Dionis Cassii scriptura contra Cluverium defensa. Caracalla quo tempore Germanicus dictus & Alemannicus. Spartianus emendatus. Caracalla Cenicus ridicule dictus. Nomina barbara modo littera* n *una, modo geminata proferuntur. Lemannus, Lemanus, Britannus, Britanus. Coepta ara a Septimio, dedicata a Caracalla. Quo tempore Septimius eam instaurari jusserit. Matthaei vander*

minorem ponunt) & Rheginorum columnam, quam *Regiam* scribit Antonini itinerarium, quod displicet aliis; defendit tamen in Mela Vossius in observationibus ad hunc Geographum libro II. cap. IV. n. 7. fallitur autem, si putat, milliariam tantum columnam fuisse, & ad solum itineris spatium denotandum constructam esse, simul enim fines Italiae designavit, quare aliis milliariis lapidibus altior fuit & operosior. Similiter eos aestimare velim, qui oculis suis usurparunt Columnam, ad pagum Monster inventam, cujus titulum supra dedimus, an & Batavicarum rerum Scriptores fallantur, qui istam tantum spatiis signandis statutam arbitrantur. Certe autem falluntur illi, si vera est effigies ejus, quam Altingius prodidit in Notitia crebro nobis memorata, parte I. in voce FORUM ADRIANI pag. 56. Omnibus enim, quae in his aliisque terris, si ab Italia discesseris, inventae sunt, speciosior est; ut columnae omnes, quae fines regionum indicabant, vulgares lapides milliarias magnitudine & specie vicerunt, quod & de territoriorum limitibus inter agros municipiorum & coloniarum docet Siculus Flaccus in libro de conditionibus agrorum. *Territoria, inter civitates, id est inter municipia & colonias & praefecturas, alia fluminibus finiuntur, alia summis montium jugis ac divergiis aquarum, alia etiam* LAPIDIBUS positis PRAESIGNIBUS, QUI A PRIVATORUM TERMINORUM FORMA DIFFERUNT. Rheginorum quidem illam columnam vulgaribus altiorem insignioremque esse ostendimus. Quae autem ad vicum Monster in Batavorum insula inventa est, eam Caninefatum regionem terminasse diximus. Quemadmodum autem Hercules ad fretum Herculeum, id est ad ingressum Maris Mediterranei in Oceanum; Alexander ad Indi in Oceanum ostia aras posuerunt, ita etiam Caligula & Claudius (de Caligula, qui aram destinavit, mox dicemus) eodem modo aram suam consecrarunt ad Rhenum amnem Indo non ignobiliorem, atque ad ejus in Oceanum decursum; neque longe ab aliis Herculis columnis, de quibus Tacitus de moribus Germanorum cap. XXXIV. *ipsum quin etiam Oceanum* (Oceanum dicit Frisiorum terras alluentem) *illa tentavimus, & superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit.* Quin & illud non dissimile Alexandri instituto fecit Caligula. Quemadmodum ille praeter aras & Indi ostia urbem statuit; vid. Justinum libro XII. cap. 13. & victoriarum monumentum, sic hic altissimam turrim ad Rheni ostia prope aram *victoriae excitavit*, ut testatur Suetonius, *indicium*

CA-

CAPUT X.

Destinavit aram ad Brittenburgum Caligula, perfecit Claudius. Caligula redux ex Batavorum Insula paulo post est occisus. Quo tempore Claudius in ea insula fuerit. Quo tempore aram consecrarit. Ortelii error. Caligulae nummi conflati ad abolendam ejus memoriam. Rhenus Imperii terminus tempore Claudii. Corbulo Chaucos vicit altero anno post Britannicum Claudii triumphum, qui ductus quarto Imperii anno. Veterum Poetarum poemata ex Catalectis Scaligeri & Pithaei, de Claudii in Britanniam expeditione, semel iterumque castigata & illustrata. Spectata Britannia a Caesare, victa & triumphata Claudio. Patere in titulos *quid. Aperuit Britanniam Claudius. Iterum vetus Poeta correctus. Brinio disjecit aram simul cum Brittenburgo & Romburgo. Ara reparata a Septimio Severo & Caracalla. Annus restitutae arae incertus. Tribunitia potestas* XVIII. *Antonini incidit in quartum Consulatum & quartum annum Imperii. Quo tempore summis beneficiis Germanos demeritus sit Caracalla.* Cenni, *Gens Germanica victa a Caracalla. Interpres Dionis castigatus.* κέλτας *Dioni Germani dicuntur. Incertae sedes Cennorum, an* Kennarii, *vel* Kennemarii *Dionis Cassii scriptura contra Cluverium defensa. Caracalla quo tempore Germanicus dictus & Alemannicus: Spartianus emendatus. Caracalla Cenicus ridicule dictus. Nomina barbara modo littera n una, modo geminata proferuntur. Lemannus, Lemanus, Britannus, Britanus. Coepta ara a Septimio, dedicata a Caracalla. Quo tempore Septimius eam instaurari jusserit. Matthaei vander*

Hoeve sententia rejecta. An Imperium in Germania susceperit? negatur. Spartiani error. Pannonii Graecis nonnullis Paeanes *dicti. Non etiam Dioni, cujus locus emendatur. Septimius ad Sabariam Pannoniae Urbem imperium est auspicatus. Aurelius Victor emendatus. porro Spartiani error perstringitur, & ejus caussa detegitur. Legiones Germanicae in Pannonia. Carnutum duplex, Pannoniae & Galliae: confusum temere Spartiano. Cellarius notatus. Septimius Imperator opera vetusta restituit. Lapis antiquus Brittenburgicus illustratus. Legio I.* Menervia. Menerva *pro* Minerva; sic leber, liber, Magester, Magister; Dijove, Vejove, *id est Dijovi, Vejovi. Castra Legionis* I. *Menerviae ad Bonnam. Legio haec instituta a Domitiano. Sententia* Scaligeri *& Scriverii rejecta de exponendo lapide antiquo. Venidius Rufus Legatus Legionis* I. *Versatus is est ad Brittenburgum & Romburgum. Lapis Romburgensis nunc primum in lucem protrahitur. Nicolaus Chevalier notatur. Mercurii Galea alata Mercurius Barbatus. Chevalieri fides sublesta.*

DEstinavit autem aram hanc Caligula, cum bellum gereret in Batavorum insula, aut saltem simulacrum belli cieret, non autem perfecit, sed opus perficiendum dedicandumque Claudio reliquit, quod ipse re inopina & seditione militum commotus, propere ex provincia decessit, Romamque periit, ubi paucis mensibus interpositis a Chaerea est occisus; rem omnem narrat Suetonius in Caligula cap. XLVIII. qui & hoc addit cap. XLIX. *intraque quartum mensem periit, ingentia facinora ausus, & aliquanto majora moliens.* Caligulae autem ut successit Claudius, non is destituit mox bellum in Germanos; nam gens haec ferox lacessita & irritata vanitate Caligulae, serio rebellare & arma suscipere instituit; vide eundem cap. LI. sed aliquamdiu is in illo bello perseveravit. Primo namque Imperii anno Sulpicius Galba, idem, qui deinceps imperium gessit & a Cajo substitutus fuerat Gaetulico, in Germania administranda Chattos vicit,

ac

ac P. Gabinius Maximus. Modo haec vera sit Dionis libro LX. pag. 670. scriptura, de qua certant Xylander & Leunclavius in notis suis ad illum Scriptorem; adde & Torrentium ad Suetonium in Claudio cap. XXIV. Per haec autem tempora dedicatam puto aram, quam Caligula aut jusserat fieri, aut inchoarat; memini quoque ante in Batavia fuisse Claudium, cum detecta conjuratione Lepidi & Gaetulici inter Legatos ad gratulandum Cajo missus est in Germaniam, verum non ea tum legationis gratia fuit, ut ara posita memoriam suam sacrare fuerit ausus, vide Suetonium in Claudio cap. IX. & recte errorem Ortelii castigat Junius in Bataviae Historia cap. X. qui a Claudio in expeditione Britannica aram Brittenburgicam positam scripsit. Non autem a Claudio inscripta est in lapide Caligulae memoria, ut maxime illaetabilis, cujus & aerea numismata ad abolendam diri hominis & truculentissimi Imperii memoriam sunt conflata, ut scribit Dio libro LX. pag. 679. τῇ γὰρ δὴ τοῦ Γαΐου μνήμῃ ἀχθόμενοι τὸ νόμισμα τὸ χαλκοῦν πᾶν, ὅσον τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐντετυπωμένην εἶχε, συγχωνευθῆναι ἔγνωσαν. *Caji vero memoriam exosi omne aereum numisma, quod ejus imaginem haberet, conflari jusserunt.* Citra Rhenum vero consecrarit hanc aram Claudius, quod hunc fluvium imperii sui limitem & terminum esse voluit. Nam cum Corbulo Chaucos inferiorem Germaniam incursantes submoveret, & in hostili solo ultra Rhenum moliretur, adeo Claudius novam in Germania vim prohibuit, ut referri praesidia cis Rhenum juberet, testis est Tacitus Annalium libro XI. cap. 19. Bellum autem hoc a Corbulone altero post triumphum Britannicum anno gestum putatur, triumphus namque ille Crispino & Tauro Consulibus, id est, quarto Imperii anno testibus Eusebio & Cassiodoro est actus. Existimo tamen ante Britannicam expeditionem sub initio Imperii Claudium aram hanc ad Oceanum consecrasse. Nam post illum triumphum aras, id est limites, ultra Oceanum produxit: unde Poeta, nescio quis, in Catalectis Scaligeri pag. 208. Pithoei pag. 50. de Britannia a Claudio capta

Oceanusque TUAS *ultra se respicit* ARAS.

Qui versus adeo nostrae expositioni convenit, ut Poeta aram hanc ad Brittenburgum & Oceanum erectam spectasse videatur, nisi forte Claudius plures Alexandri exemplo erexit. Sed quia omnes versus, quanquam non unius Poetae, huc inprimis faciunt, nonnullos hic recensebimus, sed demtis inde maculis, quibus pessime vitiati sunt

Ausoniis nunquam tellus violata triumphis,
Icta tuo, Caesar, fulmine procubuit.
Oceanusque tuas ultra se respicit aras,
Qui finis mundo est, non erit imperio.
Victa prius nullo, quanquam spectata, triumpho,
Illibata tuos gens patet in titulos.

Versu quarto nullo sensu legebatur *non erat*, aut *nunc erit.* ut & versu Sexto *jam jam spectata.* Hoc autem dicit Poeta, quamquam spectata & tentata Britannia a Caesare, victam tamen & triumphatam ab eo non esse, sed demum a Claudio, qui inde triumphum duxit, quare & versu sexto dicit, eam *patere in titulos*, male editum est

Gens jacet in titulos.

Scripseram haec cum video, a Camdeno quoque hos versus esse descriptos in Britannia sua pag. 345. ex antiquis J. Obsopaei membranis, additque variantes lectiones ex Antonio Del-Rio, quibus *non erit* probatur. Quod de spectata non etiam victa aut domita a Julio Caesare Germania dixi, docet Tacitus in vita Agricolae cap. XIII. *Primus omnium Romanorum Divus Julius cum exercitu Britanniam ingressus, quanquam prospera pugna terruerit incolas ac littore potitus sit, potest videri* OSTENDISSE *posteris* NON TRADIDISSE. Patuisse autem Britanniam Claudii opera tradit Pomponius Mela libro III. cap. VI. n. 32. *Britannia qualis sit, qualesque progeneret, mox certiora & magis explorata dicentur. Quippe tam diu clausam* APERIT *ecce Principum maximus, nec indomitarum modo ante se, verum ignoratarum quoque gentium Victor.* Seneca in Consolatione ad Polybium cap. XXXII. *Hic Germaniam pacet,* BRITANNIAM APERIAT. Ceterum Rhenum fuisse terminum Imperii tempore Claudii, idem an alius Poeta certe aeque ignotus Auctor est, cujus poema cum superiore interjecto uno disticho conjungitur

Euphrates ortus, Rhenus secluserat Arctos,
Oceanus MEDIUM *venit in Imperium.*
Libera non hostem, non passa Britannia Regem
Externum, nostro quae procul orbe jacet.

Reclu-

Recisserat ea in editis & aeternum pro ... Non diu vero ste- tit haec ara Claudii integra, ut superiore capite dicere coepimus, post necem Neronis, qui Claudio Patri in Imperio successit. Rebus admodum incertis, cum alii exercitus alium Imperatorem crearent, Claudius Civilis Batavus Vespasiani amicitiam & studium partium praetendens sese in Germania vindicavit. Is etiam in consiliorum & belli societatem pertraxit Brinionem, insigni natalium claritate in Caninefatibus juvenem, qui a suis Dux electus, accitis in auxilium Frisiis, duarum cohortium Romanarum hiberna proxima irrupit, & castella quae a Romanis tenebantur, incendit. Hoc tempore perierunt Brittenburgum & Romburgum, quod armamentarium erat. Simul autem cum Brittenburgo ara a Claudio erecta, disjecta est: Romanis pariter & Dis eorum, quibus consecrata erat, infesto Brinione, quem stolidae audaciae adolescentem dicit Tacitus Historiarum libro IV. cap. 15. quemadmodum aram Drusi Victor Arminius everterat, de qua idem Annalium libro II. cap. 7. Jacuit autem illa Claudii ara una cum Brittenburgo & armamentario usque ad tempora Septimii Severi & Caracallae, sub quorum Imperio cuncta haec reparata sunt. De armamentario constat ex antiquo saxo olim ad Romburgum invento, hac sententia, *Imperatore Caesare L. Septimio Severo Augusto & M. Aurelio Antonino Caesare Cohortem XV. Voluntariorum armamentarium vetustate conlapsum restituisse.* Titulum ipsum ex lapide integrum non prodo, quia ob insuetos litterarum ductus typis ob oculos poni commode non potest. Dederunt eum Scriverius in Tabulario Antiquitatum Batavicarum pag. 182. & Altingius in Notitia Germaniae Inferioris parte I. in voce ARMAMENTARIUM, aliique complures, inter quos tamen de legendo eo & exponendo non convenit. Brittenburgum autem a Brinione dirutum, ut Auctor est Colinus, instauratum esse ab eodem Septimio filioque ejus, augurror ex ara ab illis instaurata. Quo Imperii anno restituerit eam Severus, incertum est. Sed annum titulo ab Antonino ejus filio inscripti ipsa ara praefert, tribunitiam nempe potestatem XVIII. & Consulatum IIII. hic enim quartus, non tertius illi Tribunitiae potestati convenit, ut supra docui, incidit autem illa Tribunitia potestas in quartum Imperii ejus, quod solus gessit a Patris exitu, annum. Idemne vero hic annus sit, quo omnibus officiis sibi Germanos demeruit, necdum ex antiquis Scriptoribus didici. De his officiis & hoc demerendi studio ita

Hero-

Herodianus in Historia libro IV. cap. 7. ᾠκειώσατο δὲ μάλιστα τοὺς ἐκεῖ κοινῶς Γερμανοὺς ἔς τε φιλίαν ὑπηγάγετο, ὡς καὶ συμμάχους παρ᾽ αὐτῶν λαβεῖν, καὶ τοῦ σώματος ἑαυτοῦ φρουροὺς ποιήσασθαι γενναίους τε καὶ ὡραίους ἐπιλεξάμενος. πολλάκις δὲ καὶ τὴν Ρωμαικὴν ἀποθέμενος χλαμύδα, ἠμφιέννυτο τὰ Γερμανῶν ἐσθήματα. ἔν τε χλαμύσιν αἷς εἰώθασιν, ἀργύρῳ πεποικιλμέναις ἑωρᾶτο. κόμας τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθάς, καὶ εἰς κουρὰν τῶν Γερμανῶν ἠσκημένας. τούτοις δὴ χαίροντες οἱ βάρβαροι ὑπερηγάπων αὐτόν. *Ceterum Germanos illic sibi omnes adjunxit, atque in amicitiam conciliavit, sic ut ex his socios bellorum & custodes corporis validissimum quemque & pulcherrimum sibi adsciverit. Saepe etiam Romano cultu deposito vestem Germanicam induebat, atque in eorum sagulis argento variegatis conspiciebatur: etiam Flavum Capiti caesariem inponens ad modum Germanicae tonsurae, quibus laeti Barbari mirifice eum amabant.* Germanici tamen nomen non hoc tempore, sed patre adhuc vivo fuit consecutus, vide Spartianum in Caracalla cap. V.I. qui & in capite V. tradit in Gallia eum fuisse, antequam in Daciam proficisceretur.

Quaero autem, qui sint illi *Cenni*, gens Gallica (sic verti videas κέλτικον ἔθνος malim tamen *Germanicam*) cum quibus manum eum conseruisse Dio memoriae prodidit libro LXXVII. pag. 876. ἐπολέμησε καὶ πρός τινας κέννους κελτικὸν ἔθνος. *Bellum gessit cum Cennis Gente Germanica.* Consuevit autem Germanos κέλτας appellare Dio. Equidem fateor, me nescire sedes illorum Cennorum, sed quia aram hanc in vicinia consecravit, nonnulli forte κέννους arbitrabuntur dictos a fluvio, *Kennem*, unde & *Kennarii* vel *Kennemers* nomen acceperunt, qui in adversa Rheni ripa, aut saltem prope eam nunc habitant. Sed ipsis Auctoribus hanc sententiam tuendam relinquo. Cluverius, ut nunc video Germanicarum Antiquitatum libro III. cap. 4. pro *Cennis* substituit *Alemannos*. Quod nequaquam mihi probatur. Quo enim stupore librarii vocem illam insuetam pro hac vulgata, usitatissimaque etiam suo tempore substituerunt? Verum aliud est, quod ex hac re in mentem venit. Scribit Spartianus in Caracallo cap. V. quum Germanos vicisset *Germanicum* sese appellasse. At vero dudum is & patre adhuc vivo est Germanicus dictus, ut idem Spartianus capite proximo tradit. Constat etiam ex Victore Alemannos eum vicisse, sed & inde *Alemannici* cognomen assumsit, vide Spartianum cap. X. Deinde quid jocosi habuit cognomen Germanici, quod τῷ *Lucanici* responderet? Dicitur autem dixisse, cum Germanicum se appellaret, jocoso vocabulo se quoque *Lucanicum* dicturum fuisse, si Lucanos vicisset.

viciffet. Scio Germanici nomen refricuiffe memoriam Germani fratris occifi. Sed quid frater Germanus ad Lucanica farcimina? ex quibus cauffa & vis joci? Optime autem convenit *Lucanico* nomen *Cenici* cum a populo tum a cena fic dictum. Quare vide, an ita fcripferit Spartianus *& quum Cennos* (quos & *Cenos* dicebant, ut *Lemannum*, *Lemanum*; *Britannos*, *Britanos*) *Germanos fubegiffet Cenicum fe appellavit*.

Sed ad lapidem redeo. Quid ipfe Antoninus ornando lapidi addiderit, incertum eft, id namque tempus edax rerum nobis invidit, olim autem perfcriptum fuiffe puto. Si tamen in rebus obfcuris fufpicioni locus eft, patrem coeptam aram reparari a Septimio Severo, fed dedicatam deinceps infcriptamque a filio, eodem fere modo, quo fupra oftendimus a Caligula eam primum deftinatam fed a Claudio confummatam confecratamque effe.

De Patre autem Antonini Septimio Severo fi quaerimus, fimiliter incertum eft Romae, in Britannia, an in ipfa Germania hanc aram reftitui juflerit. Matthaeus Vander Hoeve nil dubitans fcribit eum ante Bataviam adiiffe, quam in Britanniam tranfmitteret; tu vide libri ejus partem I. pag. 90. At vero rei hujus auctoritatem fi quaeras, in illo libro nullam invenies, nec aliunde eam adferri poffe puto: quin ipfa itineris ratio reclamat. Poffit videri reftituiffe eam illo tempore, quum in Germania imperium fufcepit, modo verum, quod Spartianus memorat in ejus vita cap. IV. & V. eum in illa regione imperium effe ingreffum. Ita enim Spartianus rem profequitur, ut in Pannonia eum ante Proconfulare imperium geffiffe tradat, quam in Germania legationem, cui legationi mox fubjungit, quemadmodum iftic a Germanicis legionibus Imperator appellatus fit apud Carnutum. Sed ut verum fatear, vehementer dubito, in Germania Severum, cum huic regioni praeeffet, aufpicatum effe imperium, majoremque fidem habeo Dioni & Herodiano ea fcribentibus, non quae a prioribus acceperant, fed quae ipfi viderant, certe aetate fua gefta erant. Ita autem Herodianus Hiftoriarum libro II. cap. 9.
Ἡγεῖτο δὲ Παιόνων ἁπάντων (ὑπὸ μιᾷ γὰρ ἦσαν ἐξουσίᾳ) Σεβῆρος, ἀνὴρ τὸ μὲν γένος Λίβυς. *Praeerat autem* PANNONIIS *univerfis* (*quae unius regebantur imperio*) *Severus quidam genere Afer*; & mox tradit, quemadmodum in Pannoniis Principem egerit, atque illis relictis Italiam petierit. Depromfiffe autem haec videtur ex libris, quos ipfe Severus de vita fua fcripferat, quorum in hoc capite meminit. Pannonios hic Paea-

nas appellat, quod ipsi solenne & perspicuum & populis vicinis, hoc loco Illyricis, & libro VII. cap. 10. Mysis. Nec abhorruerunt ab hoc nomine alii Scriptores Graeci, at vero usurpasse id Dionem non puto, cujus haec fertur scriptura libro LXXIII. pag. 830. Τρεῖς γὰρ δὴ τότε ἄνδρες τριῶν ἑκάστῳ πολιτικῶν στρατοπέδων καὶ ἄλλων ξενικῶν συχνῶν ἄρχοντες, ἀντελάβοντο τῶν πραγμάτων, ὅ τε Σεβῆρος καὶ ὁ Νίγρος, καὶ ὁ Ἀλβῖνος οὗτος μὲν τῆς Βρεττανίας ἄρχων. Σεβῆρος τῆς Παιονίας, Νίγρος δὲ τῆς Συρίας. *Erant tres Viri Severus, Niger, Albinus, quorum singulis suberant tres legiones ex Civibus Romanis & alii milites exteri quam plurimi. Hi Rempublicam capessunt. Albinus praeerat Britanniae, Severus* PAEONIAE, *Niger Syriae.* Nomini namque credendum est profitenti libro XLIX. pag. 413. [illegible] δὲ Ἑλλήνων τινὲς τὰληθὲς [illegible] Παίονας σφᾶς προσεῖπον, ἀρχαῖον μέν πε τὸ προσρήματος τοῦτο ὄν. οἱ μέν τοι ἐκεῖ ἀλλ' ἔν τε τῇ Ῥοδόπῃ, καὶ πρὸς αὐτῇ τῇ Μακεδονίᾳ τῇ νῦν μέχρι [illegible], ὑφ' ὧπερ καὶ ἐγὼ ἐκείνους μὲν Παίονας, τούτους δὲ Παννονίους, ὥσπερ [illegible] καὶ οἱ Ῥωμαῖοι σφᾶς καλοῦσι, προσαγορεύσω. *Certe quidam Graeci [illegible] ignari Paeanas eos Pannonios vocarunt, quod ipsum quidem [illegible] nomen antiquum est, non tamen istius populi, sed ejus qui ad Montem Rhodopen & ad ipsam Macedoniam habitant, quae nunc usque ad mare pertinet. Quapropter* HOS EGO PAEONAS, ISTOS PANNONIOS NOMINABO, *sicuti & ipsi sese & Romani eos appellant.* Excusabunt forte alii illa de Severo non Dionis esse verba, sed Xiphilini, quae tamen excusatio parum mihi satisfacit. Quare pro Παιονίας lege Παννονίας. Confirmat opinionem meam Zonaras Annalium libro XII. cap. 7. qui solet Dionem & Xiphilinum sequi Οἱ δὲ τῶν στρατοπέδων ἡγεμόνες τρεῖς ὄντες, ὅ τε Σευῆρος τῆς ΠΑΝΝΟΝΙΑΣ ἄρχων, τῆς Συρίας δὲ ὁ Νίγρος, τῆς Βρεττανίας δὲ ὁ Ἀλβῖνος, εἰς καθαίρεσιν τοῦ Ἰουλιανοῦ τὰ περὶ αὐτοῦ μαθόντες κεκίνηντο. *Tres Exercituum Duces Severus* PANNONIAE *Praefectus, Niger Syriae, Albinus Britanniae, cognitis Juliani rebus ad eum interimendum properarunt.* Utercunque autem culpandus Xiphilinus an librarius, hoc constare arbitror, perperam Latine verti in illo Dionis aut Xiphilini loco *Paeoniae*, cum vertendum esset *Pannoniae*. Auctor epitomes, ut appellatur, Sexti Aurelii Victoris etiam testatur, Severum in Pannonia Augustum esse appellatum, & quidem in urbe *Sabaria*. *Hoc tempore Niger*, inquit, *Pescennius apud Antiochiam, in Pannoniae* SABARIA *Septimius Severus creantur Augusti.* Ex quibus veterem scripturam ita restituo ipsi Victori. *Namque cum acceptis illico, quae acciderant,*

Sep-

Septimius Severus (*qui forte* SABARIAE *legatus in extremis terris bellum gerens, Imperator creatus*) *pontem proxime Milvium acie devicit.* Nam quod in vulgatis libris nunc legitur, *qui forte* SYRIAE *legatus in extremis terris bellum gerebat*, manifeste falsum est. Redarguit praeterea Spartianum temporis ratio, dicit namque quinquennem fuisse filium majorem, qui Caracallus deinceps est dictus, cum pater Severus Germanico exercitui praeponeretur. Aetas autem haec Caracalli ad antiquiora rejicit profectionem Patris in Germaniam, quam quae initio Imperii ejus conveniunt. Quin ipse Spartianus in vita Didii Juliani cap. V. modo Auctor ejus libelli Spartianus sit, in Illyrico descivisse, imperiumque adrogasse tradit. Credo fraudi fuisse Spartiano quod a Germanicis legionibus eum appellatum Imperatorem legerat. Ita namque cap. V. in vita Severi. *Dehinc a Germanicis legionibus ubi auditum est Commodum occisum, Julianum autem cum odio cunctorum imperare, multis hortantibus repugnans Imperator est appellatus apud Carnuntum.* Hae autem legiones Germanicae non in Germania fuerunt, sed hoc cognomine dictae ad Danubium in Pannonia praesidia egerunt. Ita namque Ptolemaeus legionem X. *Germanicam* Juliobonae collocat, legionem autem XIV. *Germanicam* Flexi, quae & addito hoc cognomine invenitur in lapide Gruteriano pag. CCCCXLVII. n. 4. Ipsum quoque illud Carnuntum, ad quam urbem a Germanicis legionibus Severum Imperatorem appellatum scribit, similiter fraudi Spartiano fuit. Suspicor enim, non eum Carnutum Pannoniae cogitasse, cum illa scriberet (quod oppidum est Pannoniae superioris ad Danubium, haud admodum longe rejectum a Sabaria, ut ex Ptolemaeo intelligimus & Itinerario Antonini) sed Galliae Lugdunensis, Germaniam autem Cisrhenanam Galliae partem fuisse olim novimus. Non debuit ergo error Spartiani adjumento esse Cellario disputanti in Geographia antiqua libro II. cap. VIII. pag. 350. Carnutum an Carnuntum vocandum sit oppidum Pannoniae.

Ubicunque autem versatus sit eo tempore Severus, cum Imperium est auspicatus, aram & simul cum ara Brittenburgum, ut puto, restitui jussit. Hoc ex Dione constat libro LXXVI. pag. 869. *multa eum vetera restituisse*, &, quod addit Aelius Spartianus cap. XXIII. *servatis ubique titulis conditorum*, quam & consuetudinem secutus est filius in colenda Claudii memoria. Colligimus porro ex alio lapide, qui anno cIↃIↃxx. erutus est ad Brittenburgum, cum

tribunitiam potestatem XIII. gereret Septimius, arcem jam restitutam fuisse. Lapis admodum mutilatus est, titulus autem hic proditus

....EVER. PIVS PERTAV....
....MAX. TRIB. POT. XIII....
....NTONIN. PIVS AV......
....ER MILIT LEG. I ME....
.......ENIDIORV........

Possit tamen numerus unus exolevisse ex lapide. Verum id parvi refert. Illud quoque dubium relinquitur, Severus cum filio & militibus hunc lapidem posuerit, an milites illis Imperatoribus. Nec expedit hanc difficultatem nominativus PIVS. Verum & hoc quoque nunc missum facimus. Magis enim ad hoc, quod agimus, illud LEG. I. ME ac potissimum ENIDIORV pertinet. Significatur autem *legio prima Menervia* sive *Minervia*. Quintilianus Institutionum Oratoriarum libro I. cap. 4. *Quid? non e quoque i loco fuit? ut* MENERVA *&* LEBER *&* MAGESTER & DIIOVE *&* VEJOVE *pro Diiovi & Vejovi*; plura ejus legionis monumenta visa fuerunt olim ad Brittenburgum. Conspexi etiam lapidem non dissimilem basi in Velseno Amplissimorum Virorum Papenbroekii & Emtinkii praetorio.

LEG. I. M. P. F. ET
LEG. XXX. V. V.

Non rescivi, unde asportatus erat in praetorium illud, ex genere tamen lapidis intellexi, ad Rhenum aut in Germania olim fuisse positum. Legio autem illa prima, *Minervia pia felix* an *fidelis* est cognominata: Haec vero trigesima *Ulpia Victrix*. Ut autem haec Castra praecipua habuit ad Castra vetera, sic illa ad Bonnam supra Coloniam Agrippinae. Instituit eam Domitianus & in Germania inferiore collocavit, teste Dione libro LV. pag. 564. Sed haec forte etiam aliis observata & tradita sunt. Quid vero illud ENEDIORV sibi velit, expositum non memini. Junius & Scriverius intactum reliquerunt. Magnus vero Scaliger in Indice Gruteriano (nam & Gruterus huic lapidi in Thesauro locum dedit pag. CLXIX. n. 2.)

n. 2.) ita quidquid hoc nominis est adjungit LEG. I. ME, ut videatur id existimasse cognomen alterum istius legionis. Mihi autem videntur hae reliquiae esse nominis Venidii Rufi, qui fuit legatus legionis hujus; hoc apparet ex Saxo prope Bonnam invento, vide Gruterum pag. DLXXIX. n. 2.

FORTVNIS
SALVTARIBVS . . . .
AESCVLAPIO HYG . . .
Q. VENIDIVS RVF . . .
MARIVS MAXIM . . .
CALVINIANV . . . .
LEG. LEG. I. M. P. . . .
LEG. AVG . . PRA . . .
PROVINC . CI , . C
D . . . . . .

Versatum autem in his regionibus Venidium temporibus Septimii & Antonini Caracalli lapis probat, qui Leidae hodie conspicitur insertus parieti cellae alicujus, delatus eo Romburgo. Eum hic exhibeo, ut depictus est venustissima Mierisii manu

IMPP. CAESS. L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS PERT
M. AVRELLIVS. ANTONINVS AVG. . . .

NVMERO EXPL. BAT. CVR. COO. VENIDIO RVF.

Non memini editam esse hanc inscriptionem; quam tamen opportuniore loco ad examen revocabimus. Nicolaus Chevalierus in *Description de la Chambre des Raretez de la ville d'Utrecht*, tabula VI. n. 1. imagines, ut putat, Septimii Severi, quae sua memoria superfuerunt in arce Britannica, exhibet, alteram ex ebore, sed hanc jam supra alienam Severo ostendimus; alteram, quae lapidi insculpta est, alii considerent & contemplentur, quibus ejus intuendi in ipso lapide copia est, judicentque an Severo respondeat. Equidem ἐπέχω. Imo nisi pictura fallit, alata est galea, unde Mercurium auguror. Nec obstat barba, nam & ea ornatus pingitur hic Deus ab eodem Chevaliero tabula XXVIII. num. 156. Adde Cuperi Harpocratem pag. 82. Begeri thesaurum Brandenburgicum vol. 3. pag. 233. Juliae Dominae, quae uxor fuit Severi, imaginem in eadem

arce inventam sibique donatam prodit ille, sed jam ante me monere memini, non eam feminae esse, verum Apollinis laureati & radiata corona redimiti. Imo qui hominem noverunt, forte omnes has imagines supposititias & confictas dicent. Nam ut est apud Phaedrum

Quicunque turpi fraude semel innotuit,
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.

Nos iis hic locum nullum damus.

CAPUT XI.

Britanni ab Anglis & Saxonibus expulsi non in Batavorum insula consederunt. Johannes Gerbrandus a Leidis refutatur & Scriptura ejus corrigitur. Imo vastata hac Insula hostili in Armoricorum regionem se receperunt. Camdeni opinio refutata. Non a Maximo tyranno eo traducti. Non omnino negatur ab hoc in Armoricanam Galliam Britannos collocatos, & tamen res non admodum verisimilis. Zosimus quibus temporibus scripsit. ejus auctoritas. Ex Britannia cum exercitu trajiciens Maximus ad Rhenum appulit. Caussa hujus adpulsus ostenditur. Hispanus natione non Britannus fuit Maximus. Non magna auctoritate praeditus inter Britannos. Aulae Caesarae vernula aliisque conviciis traductus. Ausonius emendatur. a militibus Imperator creatus. Beda solet sequi sententiam & verba Orosii. Cedreni item librarii ejus & interpretis errores notantur. notatur & auctor Chronologiae Saxonicae. Maximus male Maximianus appellatur. οἱ ἐν Βρεττανίᾳ *id est exercitus Brittanniciani. Ausonius cur Maximum dixerit* Rutupinum latronem. *Caussae exponuntur, cur Britannorum sedes ad Rhenum & prope eum amnem, nec non in Frisia Maximi Tyranni & Anglorum Saxonumque expeditione sint antiquiores. Quo saeculo Britannia, Gallia, Hispania*

nia Romanorum imperio subducta fuit. Romanorum copiae quando a Rheni limite submotae. Tempus expeditionis Horsi & Hengisti in Britanniam. His Matres Brittae vetustiores, item Britanni ad Brittenburgum. Annus adventus horum incertus, suspicione tamen colligitur. Britanni, qui cum Adminio Cunobellini Britannorum Regis filio venerunt, videntur ad Rheni ostium medium consedisse, adsignatis a Caligula sedibus. ejus sententiae argumenta proponuntur. Exigui populi mentio omitti solet. In rebus antiquis par est verisimili esse contentum.

PRolixe in superioribus declaravimus, Brittenburgum a Brittis vel Britannis nomen accepisse; nunc indagandum restat, quo tempore hi Britanni in eam Insulae partem, in qua Brittenburgus fuit, commigrarint, atque arci huic nomen dederint. Tametsi namque abunde affirmavimus, a Caligula, Claudio, Septimio Severo & filio ejus Antonino extructam esse & conditam hanc arcem, dubitabunt tamen permulti, ut puto, nomen ab illis temporibus arcessere. Quin haud pauci opinabuntur, nomen hoc induisse arcem illo tempore, cum Britanni ab Anglis & Saxonibus ejecti ex Insulis suis alias sedes per Galliam quaesiverunt, existimabuntque eorum Britannorum nonnullos ad ostium Rheni consedisse. Certe haec sententia dudum placuit Johanni Gerbrando a Leidis in Chronico lib. I. cap. 13. *Saxones ante fugientes venerunt ad terram Armeniae* (lege *Armoricae*) *dictam, quam obtinentes nominarunt Britanniam minorem, & illa Britannia nunc est ducatus Franciae. Quidam autem alii Britones fugientes ad Hollandiam atque ad ostia Rheni fluminis, ubi Rhenus intrat mare prope Catwyk, vela dimiserunt, & ibidem castrum munitissimum construxerunt, quod* BRITTON *appellaverunt, vicinumque populum eis subjecerunt.* Sed mihi verior videtur Colini sententia. Non negat ille appulisse eos in Batavorum insulam Rhenumque, sed sedem illic fixisse negat, imo contra vastata ad Rhenum Batavia, inde sese in Galliam recepisse & Britanniam novam in Armoricorum terris a suo nomine condidisse. De ea namque expeditione ita canit pag. 251.

Tes

Tes geschiet als ixs bevonden
Mer den tyt ne vinden konde
Das de Enchlen und de Saxen
Mit gewaren endt bardaxen
Mitte baxen en de vlooten
Haben utten lande stooten
d'Insater van de Britten
Welcker Heirtoch was gebitten
Haren Engist ende Horse
Die gelyck een euvel orse
Al die Brittense Serjanten

Tawnede tot irren onvromen
De Zund des Rine inkomen
Unde slopen huus en have
Wider vind ix ni daer ave.
Dan das zi VOR TEGEN WAREN
HABEN IN GALLIEN OF KE VAREN
't Lant das si na irren namen
Hiten Bretangen al te samen.

Accedit, quod nequaquam verisimile, voluisse aut potuisse ad medium Rheni ostium locum habitandi capere Britannos, quia ea terra ab infestissimis hostibus tum incolebatur, a quibus ex sua Britannia erant expulsi; Anglis namque & Saxonibus, qui Britanniam occuparunt, Frisones interfuisse diximus cap. IV. quam & caussam arbitror, cur illi horum terras vicissim sint depopulati.

Nec plus valet Camdeni conjectura in Insulis Britannicis pag. 749. suspicantis Britannos, Brittenburgo nomen imposuisse, cum Maximum purpura contra Gratianum induerint. Haud equidem ignoro, quae rerum Britannicarum Scriptores nonnulli, etiam Galli, obscuriores tamen de traductis in Galliam Britannis, sedibusque ad Ligerim amnem & in Armoricorum regione a Maximo & Conano adsignatis commemorent. Verum eosdem Britannos in Batavorum Insulam a Maximo inmissos non memini me ex monumentis antiquis cognoscere. Usque adhuc non omnes quos volui, priscorum temporum Scriptores de rebus Maximi & Conani consulere potui, nihilque de fide rerum detraho, quas Viri graviores ab his in Britannia

Armo-

Armoricana gestis prodiderunt. Hoc tamen fateri liceat, quorum usque adhuc monumenta mihi versare contigit, eorum maximam partem aut nihil de illis aut diversa tradere. Adde eos ipsos Scriptores, qui traductos a Maximo Britannos in Armoricorum sedes narrant, aetate longe posteriores esse, atque ejusmodi fabulas admiscere, qui dictorum fidem haud parum elevent. Zosimus autem in Historia nova qui per haec, aut saltem proxima his tempora vixit, unde ei majorem fidem habeo, quam multis miraculorum enarratoribus, scribit libro IV. cap. 35. eum suscepto in Britannia Imperio, cum exercitu, a quo Imperator salutatus erat, eum Gratianum Augustum bello petiturus Oceanum trajiceret, non in Gallia Armorica appulisse, sed ad Rheni ostia. οἱ δὲ ῥᾳδίως ἐξαναστάντες, ἀνεῖπον βασιλέα τὸν Μάξιμον. καὶ περιθέντες τὴν ἁλουργίδα καὶ τὸ διάδημα, παραχρῆμα τὸν Ὠκεανὸν ναυσὶ διαβάντες, τῇ τοῦ Ῥήνου κατὰ τὸ στόμιον [illegible] ἐκβολαῖς. *Illi*, Britannici exercitus, *facile ad seditionem impulsi, Maximum Imperatorem appellant, ac tradita illi cum diademate purpura; confestimque transmisso navibus Oceano,* AD OSTIA RHENI ADPULERUNT. Et sane hic appulsus ei opportunior erat, quam ille ad Ligerim ad adjungendos sibi Germanicos exercitus, qui Rheni ripis praesidebant, atque ad debellandum Gratianum, qui cum Alemannis hoc tempore, Gente ad Moenum amnem, bellum gerebat, vide Socratem in Historia Ecclesiastica libro V. cap. II. Non aliam ergo Galliae partem accipe, quam quae ad Rhenum fuit, in quam Orosius libro VII. cap. 34. & Aurelii Victoris epitomator, Maximum transiisse scribunt. Verum quae quaeso caussa inpulit Britannos, qui sacramento non tenebantur, ut Maximum extra Insulam sequerentur? Utique non auctoritas ejus. Nam alienigena fuit in Britannia, nec magna auctoritate praeditus. Zosimus eo loco, quem diximus. κινεῖ δὲ πρὸς τοῦτο πλέον αὐτοὺς Μάξιμος, Ἴβηρ τὸ γένος, Θεοδοσίῳ τῷ βασιλεῖ κατὰ τὴν Βρεττανίαν συστρατευσάμενος. οὗτος δυσανασχετῶν, ὅτι Θεοδόσιος ἠξίωτο βασιλείας, αὐτὸς δὲ οὐδὲ εἰς ἀρχὴν ἔντιμον ἔτυχε προελθών, ἀνήγειρε πλέον εἰς τὸ κατὰ τοῦ βασιλέως ἔχθος τοὺς στρατιώτας. *Incitabat etiam magis eos Maximus* HISPANUS NATIONE, *qui Theodosii Principis in Britannia commilito fuerat. Is permoleste ferens, Theodosium quidem habitum fuisse dignum imperio, se vero* NULLUM AD HONORIFICUM MAGISTRATUM *pervenisse, magis etiam milites ad Imperatoris odium irritabat.* Drepanius in Panegyrico cap. XXIII. comparat eum Spartaco Gladiatori, Cilicibus piratis & servis fugitivis, & cap. XXXI. *Aulae Caesareae quondam negligentissimum*

vernulam, *mensularumque servilium statarium lixam* nominat Ausonius de claris Urbibus in Epigrammate de Aquileja.

Maximus armigeri quondam sub nomine lixa.

Sic emendo, nunc legitur *lixae*. Neque a Britannis, sed ab exercitu Romano & paene invitus est Imperator creatus, ut docet Orosius, & qui sententiam verbaque hujus sequi solet Venerabilis Beda in Historia Ecclesiastica libro I. cap. 9. nec non Prosper in Chronico *Maximus Tyrannus in Britannia* A MILITIBUS *Imperator constituitur*. Sulpitius Severus in vita Martini cap. XX. *Postremo cum Maximus se* NON SPONTE *sumsisse imperium adfirmaret, sed* IMPOSITAM SIBI A MILITIBUS, *divino nutu regni necessitatem armis defendisse:* Scio a Cedreno Maximum hunc non Hispanum, sed Britannum dici. Sed quem gravius accusem, Cedrenum, librarium an interpretem in exponenda Maximi hujus historia, nescio. Namque ut mihi quidem videntur, in eodem luto, certe eodem crimine haerent. Verba Cedreni haec sunt in Synopsi Historiarum pag. editionis Venetae recentissimae. Μαξιμιανὸς δέ τις Βρεττανὸς, ὅτι ὁ Θεοδόσιος ὁ Γρατιανὸς βασιλέα ἐκρίνεσεν, αὐτῷ μηδεμιᾶς τυχὼν τιμῆς, διήγειρε τοὺς ἐν Βρεττανίᾳ ἄλλους Γερμανοὺς. Quae interpres ita vertit. *Ceterum Maximianus quidam Britannus, cum se praeteritum nulloque honore affectum videret, Theodosium a Gratiano imperii consortem adsumtum* BRITANNOS *in Gratianum excitat.* Dubito Cedreni errorem esse, quod *Maximum* nominat *Maximianum*, quia deinceps recte eum *Maximum* vocat, quare hoc librario inputare malim. Quod autem Britannum eum dicit, ipsius peccatum puto. At vero Interpretis offensa est, quod τοὺς ἐν Βρεττανίᾳ reddit *Britannos*, cum reddere debuerat exercitus aut legiones in Britannia. Sed cujuscunque ea crimina sint, duo priora certe non evitavit Auctor Chronologiae Saxonicae, quae subjici solet Bedae Historiae Ecclesiasticae; is namque eodem modo ad annum CCCLXXXI. Maximianum nominat, & in Britannia natum scribit. Ausonius in loco memorato Maximum hunc Rutupinum Latronem nominat, non quod natus est in Britannia sed quod ἐκ τῆς νήσου τῆς Βρεττανίας ὁρμώμενος ἐπανέστη τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ ut scribit Socrates in Historia Ecclesiastica *ex ea insula profectus Romanum imperium invasit*. Quod si autem Maximus Britannos jure militiae ex insula eduxit, cur eis sedes quietas sive ad Ligerim sive

ad

ad Rhenum dedit, ac non potius per varias terras, in quibus bella gessit quantumvis gravia & difficilia, secum raptavit? Merito ergo destituimus eorum virorum sententiam; qui ad seriora sive Maximi, sive Anglorum Saxonumve expeditionis tempora, Britannorum, in Batavorum insula vicinisque terris, originem deprimunt. Quandoquidem autem ab utraque Rheni parte aut latere Britannos invenimus, in Frisia quidem Caesaris Germanici temporibus, qui herbae in sua terra natae, aut certe ab iis ostensae, Britannicae nomen dederunt, vide supra cap. IV. In Gallia vero temporibus Plinii cap. V. quid impedit aut obstat, quominus ad eadem aut saltem proxima tempora Britannos Rheni in Batavorum insula accolas reducamus? cum ambiguum non sit, Britannos illis a tergo vicinos, id est ad castra vetera, haud longe a Batavorum insula supra Rheni divortia habitantes antiquissimos esse, certe priores Barbarorum in Angliam Galliamque inruptione; id quod inde auguror, quod Matribus Brittis ad haec castra fuerunt positi a militibus Romanis, salvis hujus populi legionibus ad Rhenum, certe salva legione XXX. cujus legionis militem se manifeste profitetur Valerius, qui Matribus Brittis aram consecravit in eo saxo, quod Cuperus descripsit, de quo diximus cap. III. Eodem namque tempore fere Britannia, Gallia & Hispania firmissimae Imperii Romani provinciae, perierunt, quam cladem Theophanes in Chronographia confert in annum Christi nati CCCCXXXI. De ipso anno parum laboramus, dummodo illud certum, quod dubitari non potest, hoc saeculo validissimas populi Romani provincias Barbarorum armis concessisse; trajectoque & domito Rheno Legiones Romanorum praesidiarias aut deletas aut submotas esse. In idem hoc saeculum, & quidem in annum ejus XLIX. a Scriptoribus rerum Anglicarum video reponi Anglorum Saxonumque expeditionem in Britannorum insulam, quae Hengisto & Horso Ducibus accidit, vide Bedam libro II. cap. 15. Polydorum Vergilium Historiae Angliae libro III. adde Camdeni Britanniam pag. 65. Prosper vero in Chronico Cladem Britanniae imperiumque Saxonum in ea insula illigat anno XVIII. Principatus Theodosii Junioris, qui incidit in annum Christi CCCCXX. Marianus Scotus CCCCLII. Venit quidem superiore saeculo Maximus in Galliam & Germaniam, sed vetustiores fuisse puto Brittas Matres in his terris, quam ut his tam recentibus voluerint divinum cultum exhibere milites Romani, qui & jam hoc

hoc tempore plerique omnes Christiani erant. Quum ergo Britanni in Gallia, Frisia & prope Rheni divortia habitantes, id est dextra, laeva atque etiam a tergo Batavorum Insulam spectantes, vetustiores sint adventu Maximi Tyranni in Galliam, & Anglorum Saxonumque in Britanniam, & Britannorum fuga in Galliam, quis dubitare ausit, Britannorum migrationem in Batavorum Insulam similiter antiquiorem esse? Fateor, ipsum migrationis tempus, quo Britanni ad Rheni ostia venerunt, certis atque indubitatis argumentis definire, mihi non liquet, est tamen, quo conjectura ducit. Ostendi antea cap. VIII. ex Suetonio Tranquillo in Caligulae vita cap. XLIV. Adminium Cinobellini Britannorum regis filium pulsum a Patre cum exigua manu ad Caligulam transfugisse, atque ob eo in deditionem acceptum fuisse. Docui etiam, hunc pervenisse ad Caligulam, cum is in Batavorum insula atque in Caninefatibus moraretur, & belli ludibrium ageret, quod tum in eo loco excitatae originem dedit. Hunc Adminium in Britannorum insulam reductum restitutumque esse non novimus. Cogitavit quidem de expeditione in eam Caligula, sed armis nunquam tentavit. Tacitus in vita Julii Agricolae cap. XIII. AGITASSE C. CAESAREM DE INTRANDA BRITANNIA *satis constat, ni velox ingenio, mobilis poenitentiae &* *ingentes adversus Germanian conatus frustra fuissent.* Et tamen quia Adminius cum ea, quam secum adduxerat manu, in fidem est receptus a Caligula, debuit quoque ei locus & terra habitanda adsignari in Imperio Romano. Quae autem terra opportunior fuit, quam ea, in qua tum Imperator versabatur? quae fuit Caninefatum ad medium Rheni ostium? Potuit eam dare Caligula, quia imperio Romano subdita erat inde a Tiberio, qui Caninefates domuit. Voluit dare his sedem, & nequaquam destituere Regem illum Britannicum, quia deditionem eorum summae sibi laudi, & triumpho magnifico dignam ducebat. Dedisse autem videtur, quia Britannorum in hoc loco nomina post illa tempora reperimus, nempe Brittenburgum id est Britannorum arcem. Horum autem Britannorum deinceps nullus Historicorum meminit, quia numero pauci fuerunt, *exiguam manum* nominat Suetonius, haud aliter ac Dio tradit libro LVI. pag. 582. Loca a Romanis per Germaniam insessa silentio ab Historicis fere praetermitti, quia fuerunt non magna. Εἶχον τινὰ οἱ Ῥωμαῖοι αὐτῆς οὐκ ἀθρόα, ἀλλ' ὥς πυ καὶ ἔτυχε χειρωθέντα, διὸ οὐδὲ ἐς ἱστορίαν μνήμην ἀφίκετο. *Loca quaedam Germaniae Romani tenebant,*

non

non fuerint, sed ut forte fabellae fuerint, hic, illic: quam ob causam in historiis nulla fit eorum mentio. Sequamur ergo securi, quo tot suspiciones, & tanta probabilitatis ratio ducit. Siquidem ex sententia Strabonis pag. 595. in rebus antiquis par est verisimili esse contentum.

CAPUT XII.

Fata reliqua Brittenburgi incerta. Romani Graecique scriptores occupatae a Barbaris Galliae curam abjecerunt. Chronicorum Architecti, qui maximam partem monachi fuerunt, majore diligentia res sacras quam militares tradiderunt. Illi fabulis omnia inquinarunt. Colinus quo tempore scripsit. Oceano an barbaris vastata arx Brittenburgica? Non illud a ratione alienum. Multae res antiquae in ea inventae. Simulacra Deorum per has terras a primis Christianis disjecta. Willebrordus Mercurii statuam in Walachria comminuit. Nehalenniae imagines quomodo cladem evaserint. Neomagi magna copia operum antiquorum ex terra eruitur. in arce Britannica quae inter rudera inventa. Vi Oceani per Bataviam vicinasque terras arces, pagi, oppida submersa & diruta. Strabo refutatur, qui negat, Cimbros inundatione coactos ex patria excedere. Brittenburgica Arx saepius direpta. Quando antiquitatis monumenta in pretio haberi & quaeri coepta. Quoties Brittenburgus [illegible] a Proavorum memoria ex undis apparuerit. Guicciardinus a Normannis, Dousa a Quadis dirutam scribunt. Remota longe a littore, nunc undique altis fluctibus obruta periit.

NIhil nunc de Brittenburgo inquirendum restat, nisi ut alia ejus fata investigemus, & quid ei, extincto Romanorum per Germaniam Galliamque Imperio, acciderit, perscrutemur. Verum cum haec taceant Scriptores vetusti, nihil est, quod nos dicamus. Posteaquam autem Gallia & quae pars ejus censebatur, Batavia Barbaro-

barorum dominationi cessit, quo earum Romani Graecique Scriptores abjecerunt. Successerunt quidem barbari & semibarbari Chronicorum textores, sed quia pars maxima eorum monachi fuerunt, & homines litteris rebusque parum exculti & exercitati, majori studio illi sibi habuerunt monasteriorum & rerum sacrarum, quam militarium & castrorum fata memorare. Quin in fabulis atque importuna religione res omnes contaminarunt, ut nescias saepe carere iis an uti malis. Et tamen haud scio an praeter Colinum & Johannem Gerbrandum a Leidis ex vetustioribus ullus meminerit Brittenburgi hujus. Colinus autem ita meminit, ut dubites, suo tempore exstiterit etiam an aquis mersum perierit. Vixisse hic Colinus creditur saeculo XII. Johannes vero ille Gerbrandus incolumem stetisse scribit ad tempora Hungeri XI. Trajectensium Episcopi, qui Ludgero successit, mortuo anno Christi DCCCL. ita autem Carmelita in Chronico suo libro I. cap 13. *istud autem castrum permansit in vigore usque ad tempora beati Hungeri Episcopi Trajectensis.* Hoc autem tempore miseranda eluvione haec Arx obruta est & extincta, de qua idem Libro V. cap. 3. *Obstructo itaque antiquo Rheni fluminis meatu Scopuli in Catwyk, ubi Rhenus fluxit, reintegrati sunt, quod sic antiquum illud Castrum, quod dicebatur Britannicum in idiomate Teutonico* DIE BURCH TE BRITTEN *in marinis fluctibus, ut in praesenti cernitur, est desertum.* Ex his accepit quae de eadem re Heda Praepositus Arnhemiensis in vita Hungeri narrat. Contra vero recentiores Scriptores a Normannis prius vastatam scribunt, aut quae Nobilissimi Dousae est opinio in Annalibus Hollandiae libro IV. pag. 165. a Quadis Saliisve. Quod si autem nummorum, simulacrorum, supellectilis & quorumvis operum antiquorum copiam spectes, quae ex ruderibus est subinde extracta, dicas [illegible] barbaris eam vastatam, neque etiam Hungeri demum aetate aquis haustam esse. Quis enim credat ab auro atque argento barbaros a simulacris Deorum & Idolorum Christianos manum abstinuisse? Hoc novimus primos Christianos per has terras gentilium Deorum Idola omnia confregisse ac abolevisse. De Willebrordo primo Trajectensium Episcopo & puriorum sacrorum auctore Beka memorat, ceterique rerum Batavicarum Scriptores omnes tradunt, eum in Walachria Mercurii simulacrum, quod avita illic religione colebatur, disjecisse. Nec credo, tot Nehalenniae aras cladem hanc in illa regione evasuras fuisse, si eo tempore exstitissent,

&

& ab Oceano aut aestuum cumulis conservatae non fuerant; perierantque dudum, nisi hoc modo antea periissent. Non nego, in multis aliis locis, in quibus Romana Castra fuerunt, ac praecipue Neomagi, quod Batavorum oppidum a Tacito memoratum existimatur a multis, similium rerum, quae inventae fuerunt in illa arce Britannica, magnum esse proventum. Verum in his locis ea e terra eruuntur, in qua aut a possessoribus occultata olim fuerunt, aut casu & forte quadam abscondita. At vero in arce Britannica non terra fuerunt obruta, sed inter ingentia saxa reperta. Quae ergo calamitas olim turres non tantum atque arces, integros vicos pagosque & oppida, atque etiam nostra memoria aedificia multa Oceano mersit, eadem etiam dudum ante Caroli Magni tempora, acceptis necdum Christianorum disciplinis Brittenburgum undis circumdedit, deinde vero Hungeri tempore obruit. Haec autem Arx, & utinam ea sola, quae quondam Oceani fluctibus ne tangebatur quidem, nunc autem vastis undis premitur, indicio est, quam vana ea sint, quae Strabo libro VII. pag. 293. ex Posidonio adversus Oceani eluviem, qua Cimbri a patria sua exclusi sunt, disputat. Credo, cum Oceani furores ex maris sui (mare mediterraneum dico, quod *mare nostrum* prisci appellabant) aestibus existimasse. Hoc certum Oceanum parum perspectum eos habuisse, utique Britannici Oceani natura & violentia ignorata fuit Straboni, quam tamen magna suorum clade semel iterumque expertus est Germanicus, vide Tacitum Annalium libro I. cap. 70. & libro II. cap. 23. Dum autem Arx illa in initio non tota oppressa vastataque stetit, siccatis, reducto aliquando Oceano, littoribus, pretiosiora inde ab accolis identidem ablata puto, remansisse autem, quae aut avari negligunt, aut inter ruinas altius latebant: in quibus quoque non inventa sunt, nisi eo tempore cum rebus etiam minimis, quae ad antiquitates Romanas pertinebant, pretium esse coepit. Illud tempus designo, quo proavorum nostrorum memoria ex longo intervallo litteris antiquis suus honos rediit. Nam inde ab illa aetate aliquoties ex undis apparuit ruinaeque veteres spectatae, & scrutatione sedula discussae sunt. Wilhelmus Heda in Historia Episcoporum Trajectinorum in vita Hungeri, de quo modo dixi, significare videtur eo anno, quum historiam illam scriberet, rejectis undis detectam fuisse hanc Arcem; scripsit autem, certe dedicavit eam Historiam anno CIↄIↄXXI. ut jam supra docuimus cap. II. Idem de eodem anno memorat Ludovicus

Guic-

Guicciardinus in descriptione Belgicae, ea parte qua Hollandiam exponit, additque praeterea iterum iterumque ex aquis emersisse sua aetate, id quod & Cluverius testatur de tribus Rheni Alveis cap. XIV. recenset autem annos hos Guicciardinus, primo CIↃIↃLII. iterum CIↃIↃLXIII. eos annos etiam designat Scriverius in tabulario Antiquitatum Batavicarum. Parsius in Antiquitatibus Catvicensibus pag. 111. ex Scriverio quoque his interponit annum CIↃIↃLXXXII. & adjungit illis etiam annum CIↃIↃLXXVI. Nicolaus Chevalierus vero in libro Gallice scripto, quem saepius nominavimus, narrat, sese anno CIↃIↃCLXXXVII. scapha petiisse, imaginemque ejus, ut a se animadversa & depicta est, prodit Tabula V., convenientem ei formae, quam Scriverius dedit. Addit praeterea monumenta quaedam antiqua a sese atque aliis eo tempore inde reportata, quae res documento sunt modo auctori sua fides constet, eo anno similiter oculis hominum patuisse Arcem, aut dicam potius Arcis pulcherrimae cadaver. Inde autem ab illo tempore, quod scio, nunquam deinceps oculis patuit, sed Oceano profundo victa atque obruta penitus sedet aeternumque sedebit, ut puto, si quidem quotannis fere a terra longius imminuto avulsoque littore recedit. Guicciardinus a Catvico, qui pagus nunc in littore est parte etiam ab Oceano hausta, Brittenburgum distare scribit passus mille & sexcentos.

CAPUT XIII.

Colini versus exponitur. Barden. Garven *an Sacrarium significent?* Gaervkamer *quid?* Gaerven *praeparare, adornare. Videntur arae Brittenburgicae constituti Sacerdotes.* Bardi *apud Gallos non adhibiti ad immolandum, sed* Euhagae. Bardorum, Euhagarum *&* Druidarum *discreta munera. Sacraria an ad aras fuerint? Non videtur Sacrarium significasse Colinus.* Barden Garven *an militum manipulos significent?* Garve *manipulum notat. Fuit ludus litterarius in Caninefatum terra.* Suspicio Barden Garven *Bardorum institutionem seu scholam significare,*

Bar-

Bardos Latine dicas Grammaticos & Rhetoras. Institutio est praeparatio animorum. Praeceptores etiam praeparare dicuntur. Bardi Poeticam & Cantica docebant, artesque, quibus ea praecipitur. Bardi Meisters dicti. Meistersangen, [illegible], quo praeceptores & discipuli cantantes funera prosequuntur. Bardi laudes defunctorum in funere celebrabant: fuerunt in summo honore apud Gallos. Henrici Valesii sententia refutatur. De ludo litterario in inferiore Batavorum Insula Aurelii testimonium. Temere Aurelium & hunc ludum litterarium oppugnat Scriverius. Qualis schola fuerit Coloniae Trajanae. Ad Romburgum potius quam Brittenburgum schola fuisse videtur. Litterae Graecae & Latinae in ea fuerunt traditae. Legatis Romanis non, nisi Latino sermone responsa data. Scholae complures apud Barbaros. Obsides a Barbaris dati Romana humanitate exculti. Ratio redditur. Juba Mauritaniae rex, & Cotys Rex Thraciae litteris cultissimi fuerunt. Parthi Regem noluerunt Romanis disciplinis imbutum. Julius Agricola Britannos liberalibus artibus erudiit. Inter provincias omnes plurimas Scholas Galliae habuerunt, eae enumerantur. Massilienses Scholae summa gloria. Romani studiorum caussa Massiliam petierunt. An Eumenius Cliviae docuerit? Augustoduni in Aeduis Schola nobilissima. Quibus caussis adducti Romani in Batavorum Insula ludum litterarium excitarunt. Ex Caninefatibus, Batavis, Frisiis Custodes corporis a Caesaribus deligebantur. Romani Insulam Batavorum elegantius exornatam voluerunt. Superbum in ea fuit Praetorium Agrippinae. Qua forma pingatur in Tabulis Peutingerianis. Forum Hadriani in ea Insula. Duae viae militares per Bataviam. Classis Germanica, quae & Britannica per Rheni flumina navi-

navigabat. Amnes navigationibus & negotiationibus patefacti. Ripae exornatae multis castris & extructionibus. Magnus olim splendor Civitatis Treverorum. Priscorum Neomagensium elegantia & luxus. Multa hoc tempore ad eorum Urbem monumenta effossa. Ea periisse aut ignorari dolendum. Caligula sororum suarum ornamenta & aulae instrumenta in Batavia vendidit. Multi Batavi civitate Romana donati. Male nomen Claudii Civilis ex Lingua Belgica exponitur. Studia Romanorum etiam in Castris caluerunt. Romanorum ducibus in bello quales cohortes amicorum fuerint. Caninefates & Batavi fuerint instituti in schola, quae in eorum Insula fuit. Verosimile fit, scholam conditam a Germanico, qui cum Uxore & liberis in Germania inferiore versatus fuit. Germanici ingenium & eruditio laudatur, similiter Agrippinae. Videtur Caligula in illa Schola eruditus. forte & soror Mater Neronis, quae praeter sexum erudita fuit. commentarii ejus. Batavorum auris cur Martiali notata. Inquiruntur caussae, cur Batavi nequitias Martialis spreverint. Batavi videntur cultiore ingenio fuisse, summa fuit Solertia Claudii Civilis Batavi non indecorum tamen si Batavi facere fortius quam dicere didicerunt. Videntur Batavi abhorruisse ab adulatione Martialis. Molestae iis laudes Domitiani, cujus ignavia ipsis cognita. An Domitianus in Batavos movit. Veledam an captivam duxit? hujus Veledae monumentum Brittenburgus servavit. Cur plurimi nummi Domitiani in Batavia? Aliter Batava auris defenditur a rusticitate. fuerunt Batavi grandibus auribus. Aures Majoris notatae, ut Claudii ac Neronis. Signa & imagines Batavorum. Ab his auribus explicanda fabula Elini. Per errorem nomen ejus in nummis lectum creditur. Madelinus Monetarius. Nomen

hoc

hoc frequens in nummis Dorestati & Triectum praeferentibus. syllaba prior obscurior in nonnullis nummis. fefellit ea Pontanum & Teschenmacherum, cujus & alius error detegitur. Sub fabulis verum nonnunquam latet. Fabula Monischyri *exposita. In Batavia Herculi pro natis sacra facta.* Herculis Magusani *monumentum expositum. ejus etymon traditum.* Herculis Castra. Lupio & Ammava *a Gente dicti. Ursulae cum undecim millibus fabulam extricare studuit Kelserus. Epilogus operis.*

DIxeram modo, nihil de Brittenburgo restare scrutandum aut exponendum, nisi fata ejus, excisa per Galliam Romanorum ditione. Non cogitabam eo tempore de Colini versu, quem Brittenburgi & Romburgi mentioni subjungit.

Daer ti Barden garven waren.

Ceteros versus, qui huc pertinent, descripsimus capite primo. Tametsi autem nullam linguae Batavorum priscae peritiam profiteor, imo etiam vix mediocriter in ea me exercitatum sentio, cum tamen Batavis potissimum hanc meam curam, quam Brittenburgo describendo dedi, probari cupio, visum fuit faciundum, ut ne versum hunc intactum praetermitterem, praesertim dum antea Poetae hujus testimonium ad partes nostras vocarim, & eum in rebus antiquis contemnendum non esse monuerim. Dubium tamen relinquit versus ille, utrique Burgo, id est Brittenburgo & Romonburgo, an alterutri respondeat: & si alterutri, priori an posteriori. Novi qui Brittenburgo soli aptet, & *Barden Garven* exponat sacrarium. Hoc certum, Kilianum in Dictionario Teutonico-Latino *Gaerve-Kamer* sacrarium interpretari, seu locum in templo, ubi Sacerdos se praeparat & sacris vestibus adornat. Videtur autem Kilianus vocem hanc arcessere a *Gaerwen* seu *Gerwen*, quam Latine vertit praeparare, adornare, conficere. Sequitur hunc Schilterus in Glossario Teutonico, qui multa cumulat de hac significatione verbi. Juvat hanc expositionem ara, quae in arce Britannica fuit, cui sacerdotes constituti videntur. Sed cupio doceri, Bardos Gallorum adhibitos fuisse ad immolandum aut sacrum peragendum. Imo vero

Strabo eo in loco, ubi discreta Bardorum & Vatum: (quos Marcellinus Euhagas nominat libro XV. cap. 9.) & Druidum officia recenset, sacrorum curam Vatibus tribuit libro IV. pag 197. ubi de Gallis Παρ' ἅπασι δ' ὡς ἐπίπαν τρία φῦλα τῶν τιμωμένων διαφερόντως ἐστί· Βάρδοι τε καὶ Οὐάτεις καὶ Δρυΐδαι. Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί· Οὐάτεις δὲ ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι· Δρυΐδαι δὲ πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. *Apud universos autem fere tria hominum sunt genera, qui in singulari habentur honore: Bardi, Vates & Druidae: Horum* BARDI HYMNOS CANUNT, POETAEQUE SUNT: *Vates sacrificant & naturam rerum contemplantur: Druidae praeter hanc philosophiam etiam de moribus disputant.* Deinde non memini, me de ejusmodi sacrariis aut conclavibus legere, quae aris erant adjuncta. Et si fuerunt in usu apud Romanos, templis adjuncta erant. Nulla autem mentio templi in his locis, & usus arae, de quo ante dixi, sine templo absolvebatur. Verum finge, sacrarium ejusmodi fuisse ad aram, quid autem illud tam eximium habuit, ut potius quam aram ipsam in ultimis terris positam, aut templum memoraret Colinus, & quos ipse Colinus est secutus? Quare censeo *Barden Garden* aliud hic significare. Cogitavi aliquando, an militum manipulos hic notaret, sane de Militibus paullo ante in eadem Historia pag. 250.

Die met sine Krieg GEBARDEN
In den Katteuycker waerde
Tue Romeynen Blockhusen flechte.

& mox idem pag. 251.

Das de Euchlen und de Saxen
Mit gewaren ende bardaxen.

Ipse autem Colinus docet militares manipulos, aut dicam potius Cohortes Romanas tenuisse Romoburgum & Brittenburgum. *Garde* vero manipulum notat, quam vocem Romani ad Militum ordines transtulerunt, & forte eorum exemplo Galli atque inde Colinus. Verum aliud succurrit, quod mihi inpensius placet. Tradit Suetonius in Caligula cap XLV. Caligulam, cum ludicrum illud bellum, de quo multa ante, ad Ostium Rheni atque in Caninefatum regione eoque loco, quo Arx Britannica est extructa, ageret, obsides quosdam

clam abduxisse e ludo litterario, clamque praemisisse, & mox defecto repente convivio cum equitatu insecutum, ac veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxisse. Ex quibus intelligimus, ludum hunc litterarium in Caninefatum regione fuisse. Puto autem *Bardun Garven* commodissime de Scholis exponi posse, in quibus *Bardi*, quos Latini Grammaticos & Rhetoras appellarunt, Poetas erudiebant, & Batavorum Caninefatumque animos ad carminum dulcedinem Romanaeque eloquentiae decus praepararunt. Voces quidem *Garwe* & *Barde*, si quid video, non abhorrent ab hac interpretatione. Innumera exempla constipat Schilterus in Glossario Teutonico, ut doceat, *Garwe* praeparationem adsignificare. In iis etiam nonnulla sunt, in quibus vox illa aeque institutionem vertere possit. Et quid aliud institutio, quae a Praeceptoribus proficiscitur, quam praeparatio animorum? Imo quid Grammatici ac Rhetores consequi student suis institutionibus ac praeceptis, quam praeparare ingenia ad disciplinas graviores & ampliorem earum cultum. Quare etiam non dubitarunt eam vocem adhibere de Praeceptoribus Latini. Exemplum autem do ex Quintiliano Institutionum Oratoriarum libro II. cap. 4. *Solebant* PRAECEPTORES *mei neque inutili & nobis etiam jucundo genere exercitationis* PRAEPARARE *nos conjecturalibus caussis*. Ut autem Druidae adolescentes fidei suae commissos gravioribus disciplinis instruebant, sic Bardi Canticis & Poetica, iisque praeceptis, quibus Poetica comparatur. Haec caussa est, cur Bardi alio nomine *Meister's* fuerint dicti, ut idem Schilterus docet, unde nomen acceperunt *die Meister-zangen*, quorum idem Schilterus facit mentionem. Forte & inde consuetudo defluxit, quae hodie in multis Germaniae oppidis pagisque observatur, ut Praeceptores una cum Discipulis canentes funera prosequantur. Nam ut olim Bardi illi laudes defunctorum celebrabant in funeribus, sic hodie Magistri puerique hymnos sacros canunt. Abjecte nimis de Bardis sentit Henricus Valesius in notis ad Ammianum Marcellinum libro XV. cap. 9. ubi eos parasitis comparat, nequaquam vero dignitas, quam iis Strabo tribuit, parasitationi convenit; is enim eos inter τιμωμένων διαφερόντως primo loco recenset, id est inter eos, qui praeter ceteros honorati sunt. Meminit ludi litterarii in inferiore Insulae parte, quae Batavorum & Caninefatum fuit, quoque Aurelius Cornelius in Batavia sua libro I. cap. 8. scripsit ille hunc libellum ineunte fere saeculo sexto decimo, dubitan-

dum autem non est, quin ea, quae tradidit, ab antiquioribus acceperit. Ita ille de ludo hoc litterario. *Quid denique loquar de Latinarum schola litterarum, quam ibidem ad Rhenum haud procul a Castro, quod arcem dicimus Romanorum aperuerunt.* Iisdem paene verbis Scholae hujus meminit aequalis Aurelii & amicus Reinerus Snoius in Rerum Batavicarum libro III. *Quid denique dicam de Latinarum Schola litterarum quam ad Rhenum haud procul ab arce Romanorum dicta aperiebant?* Arcem Romanorum Romburgum nominant. Quam arcem a Romanis dictam volunt. Ego dubito, quia in nonnullis monumentis antiquis *Rodeburg* appellatur. Sed hoc alias agetur. Nos in hoc opere observavimus plurimorum scripturam, qui *Romburgum* nominant, quod ne nobis fraudi sit, rogo. Colinus *Romonburg* dicit. Hoc tantum observari velim, Aurelium & Snoium scholam hanc vicinam collocare Romburgo non Brittenburgo, quae tamen Castra haud longo spatio inter se distant, certe, si bene memini, non ultra IV. aut V. millia passuum. Quae vero de hac Schola memorant, necdum mihi liquet, ex Suetonio, Colino aliisque Batavicis Scriptoribus, an ex fama acceperint.

Hoc tamen liquere puto, in auras effudisse omnem dicendi vim & doctrinae copiam Petrum Scriverium, quam ad debilitandum hoc Aurelii testimonium, & ad subvertendam illam scholam adtulit in Tabulario Antiquitatum Batavicarum. Posteaquam enim erudite multa de scholae nomine & significatione disputavit, huc tandem evadit, Aurelium bonum coenobitam (ut eum appellat) cum forte in lapide ad Romburgum invento vocem scholae offendisset, interpretatum esse eam de Schola litteraria, quae aliam quamque scholam significaret. At vero num etiam Suetonium deceptum dicet insueto, certe ineruditis minus cognito vocis usu, quando non scholam, sed ludum litterarium appellat? non puto. Cujusmodi autem Schola fuerit Coloniae Trajanae Ulpiae, definire non ausim, late namque patet haec vox. De ea haec prodidit Stephanus Vinandus Pighius in Hercule Prodicio pag. 35. *Sanctis;* oppidum *Santen* intelligit in Ducatu Clivensi supra Vahalis ac Rheni divortia, *insuper Henricus Risvicus juris consultus mihi ob eruditionem & probitatem valde conjunctus & amicus, habet inter antiquitatum suarum collectanea exemplum exscriptum ex fragmento tabulae antiquissimae marmoreae, in qua posteris memoriae proditum fuit, Imperatores Caesares M. Aurelium Antoninum & L. Aurelium Augustos, Scholam*

C. TR.

C. TR. VI. *hoc est Coloniae Trajanae Ulpiae ignibus absumtam restaurari curavisse.* Illud jam ante monui, non constare ex Colino, ad quod Castrum illa Schola, quam *Barden Garven* nominat, fuerit; tametsi, si ex consuetudine aliorum Scriptorum judicamus, cum alterutri tantum castro tribuenda, ei verisimilius, quod posterius nominavit, id est Romburgo illa detur, quam Brittenburgo; Praesertim cum & illi fama eam adsignet, certe Aurelii testificatio. Nec obstat Suetonius, qui locum Scholae seu ludi litterarii non nominat, sed significat, in proximo fuisse, ubi Castra habebat Caligula. Castra autem vicina aeque Romburgo ac Brittenburgo fuerunt, & forte locum utrumque complexa. Litteras Latinas, item Graecas, id est tales, quibus Romana Pubes impertiri solebat, in ea Schola traditas fuisse, inde arguo, quod summo studuerunt opere Romani, ut Latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Hanc certe caussam tradit Valerius Maximus libro II. cap. 2. exemplo 2. cur Romani non nisi sua lingua Legatis, ne quidem Graecis, tametsi Graece scirent, responsa dederint. Hoc certum, Scholas institutas fuisse a Romanis in Barbaris & victis gentibus, obsides etiam a Barbaris datos Romanorum artibus excultos fuisse. Credo autem eo consilio majus quidpiam spectasse sapientissimos Patres, quam linguae suae honorem. Quin ferociam Barbarorum liberalium artium studiis mitigare, & suae linguae communione ad artiorem societatem adstringere voluerunt. Ut iisdem moribus ac disciplinis eodemque sermone utentes, ejusdem Reipublicae socii sibi viderentur, & servitutis onera patientius ferrent. In regnum litteris cultissimus, quas Romae didicerat, missus est Juba, Regis Mauritaniae filius, & ipse dein Rex factus, vide Plutarchum in Caesare. Passim is Juba laudatur Plinio in Historia Naturali. Cotyn Thraciae Regem a Politioribus studiis & ingenio commendat Ovidius ex Ponto libro II. ep. 9. Non etiam fefellit haec Romanorum prudentia & calliditas exteros populos, quorum complures exosi fuerunt propterea Reges suos, qui quondam obsides Romae fuerant. libro II. cap. 1. fremit hoc Parthorum vulgus *degenerasse Parthos, petitum alio ex orbe regem* HOSTIUM ARTIBUS INFECTUM. Rex hic Vonones erat obses Romanis olim datus a patre, & Romae educatus. De Julio Agricola, viro summa sapientia praedito, memoriae prodidit Tacitus in ejus vita cap. XXI. cum Britanniae praeesset, quae Romano Imperio nuper provincia accesserat, instituisse eum *Principum filios libe-*

liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Dudum ante, & quidem Augusto imperante, iisdem litteris & moribus jam exculti fuerunt Pannonii. Vellejus Paterculus libro II. cap. 110. *In omnibus autem Pannoniis non disciplinae tantum modo, sed linguae quoque notitia Romanae, plerisque etiam litterarum usus & familiaris animorum exercitatio.* Ut adeo verissimum sit, quod Suetonius scribit de Illustribus Grammaticis cap. III. pridem *in provincias Grammaticam penetrasse, ac nonnullos de notissimis doctoribus peregre docuisse.* Quanquam autem celebrantur in Hispania, Africa atque extremis terris clarissimae Scholae; nullam tamen populi Romani provinciam plures numerasse puto, quam Gentem Gallorum. Ausonius in Professoribus memorat Pictonicam, Tolosanam Narbonensem & prae caeteris Burdegalensem, in qua ipse mox Consul Romanus docuit. Idem in Gratiarum actione Lugdunensem, Vesontionensem, recenset. Trevirensem laudat in Mosella v. 383.

Aemula te Latiae decorat facundia linguae

vide quae dixi in Dissertatione de Aetate & Stilo Arriani cap. IX. Quin ex rescripto Imperatorum Valentis Gratiani & Valentiniani l. II. Cod. Theodos. *de medicis & Professoribus*, ad Antonium praefectum Praetorio Galliarum, intelligimus Metropoles omnes & frequentissimas quasque civitates per Gallias suos Professores, id est Rhetoras & Grammaticos habuisse. Massiliensis quidem Scholae tanta fuit gloria, ut Romanos etiam studiorum caussa ad se exciverit. Cujus laude & fama commoti Galli reliqui passim Professores publice & privatim conduxerunt. Strabo libro IV. pag. 181. ὥσθ' ἡ πόλις μικρῷ μὲν πρότερον τοῖς Βαρβάροις ἀνεῖτο παιδευτήριον, καὶ φιλέλληνας κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια Ἑλληνιστὶ γράφειν· ἐν δὲ τῷ παρόντι καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν, ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾶν, φιλομαθεῖς ὄντας. Ὁρῶντες δὲ τούτους οἱ Γαλάται, καὶ ἅμα εἰρήνην ἄγοντες, τὴν σχολὴν ἄσμενοι πρὸς τοὺς τοιούτους διατίθενται βίους, οὐ κατ' ἄνδρα μόνον, ἀλλὰ καὶ δημοσίᾳ· σοφιστὰς γοῦν ὑποδέχονται τοὺς μὲν ἰδίᾳ, τοὺς δὲ αἱ πόλεις κοινῇ μισθούμεναι, καθάπερ καὶ ἰατρούς. *Itaque urbs ea paullo ante Barbaris loco ludi litterarii patefacta tantum Graecarum litterarum studium apud Gallos excitavit, ut contractuum quoque formulas Graece conscriberent. Et hodie nobilissimis*

finis etiam Romanorum persuasit, ut dicendi studio pro Atheniensi peregrinatione Massiliensem amplecterentur: quos cum vident Galli, quia in pace vivitur, ipsi quoque libentes otium huic vitae instituto inpendunt, non privatim modo, sed publice. Nam & privatim & publice a civitatibus, ut Medici, ita etiam Sophistae conducuntur. & pag. 195. ubi de Gallorum moribus. ὥστε καὶ παιδείας ἀπτέσθαι, ὥς λέγων. *Itaque disciplinae etiam & litteris se dederunt.* Credunt tamen promtius quam probant Clivenses Maenianas, quas Eumenius Rhetor instauravit, in sua urbe fuisse. De Augustodunensium autem in Aeduis ludo in hunc modum Tacitus Annalium libro III. cap. 43. *Augustodunum caput Gentis, armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, nobilissimam Galliarum sobolem, liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignore parentes propinquosque eorum adjungeret.* In Caninefatibus vero atque in regione Batavis proxima tanto magis Imperatores Romani ludum litterarium instituerunt, in quo cum Caninefates & Batavi, tum Frisii in adverso littore habitantes ad clementiores mores sunt formati, quod ex his gentibus Romani Principes sibi corporis Custodes, quorum fidei salutem suam & vitam committerent, deligere solebant. De Batavis res certa ex Suetonio in Caligula cap. XLIII., de Caninefatibus & Frisiis ex monumentis, quae alio in loco proferentur. Voluerunt autem hanc Insulae Batavorum partem elegantius exornare Romani, quo magis hoc cultu indomita pectora mitescerent. Atque ut Agricola cum scholis simul omnem humanitatem in Britanniam invexit, ita ante jam in Caninefatum regionem induxerant eam alii. Hanc humanitatem, ut Romani quidem appellarunt, exponit Tacitus loco memorato, in quo Britannorum studium in eloquentiam Romanam docet. *Inde etiam habitus nostri honor & frequens toga, paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum porticus & balnea & conviviorum elegantiam.* Nullam humanioris vitae partem in his tangit Tacitus, quin in Batavia eandem fuisse ostendere queamus. frequentem togae usum alias docebimus. Porticus & balnea ex Praetorio, quod in his regionibus Agrippina Germanici uxor, Caligulae mater excitavit, illi intelligent, qui delicatiora potentiorum Praetoria cognita habent. Amplitudinem illius dignam Augusti nepte & Caesaris uxore quodammodo ex ipsa Velseri antiqua Tabula aestimare est. Illud etiam animadvertas, aquas, quas passim Tabulae illius auctor depingit, simili forma exhiberi, quali hoc Praetorium. Cujusmodi sunt aquae Segestae, Nismei, Bormonis,

Volsiternae, Populoniae atque etiam Tauri, quas celebrat in itinere suo Rutilius libro I. v. 149. Deinde Hadrianum Imperatorem haud procul ab hoc Agrippinae Praetorio aliud excitasse, ab eodem auctore in tabula designatum, quod Forum Hadriani nominatur. Necdum autem animum inducere potui, ut vera crederem, quae alii de tetra ac horrida antiquae Bataviae conditione & incolarum vita prodiderunt. De aetate, quae ante Romanorum imperium fuit, nil dico. Sed posteaquam Romani binis militaribus viis hoc solum, classi autem Germanicae, quae Britannica appellatur a Tacito Annalium libro IV. cap. 79. & Rheni fluenta pererrabat ut scribit Hegesippus de Bello Judaico libro II. cap. 9., & negotiationibus, deductis hic illic fossis, amnes aperuerunt; crebris legionum, cohortium, alarum castris multisque & superbis extructionibus ripas exornarunt: elegantius, ut omnem Rheni tractum, sic & Bataviam paullatim enituisse puto. Notum est, quanto olim cultu luxuque per propinquas oras splenduerit Trevirensium civitas, Belgicae primae caput, & aliquando Principum Romanorum sedes Imperiique domicilium. Nec abhorruisse omnino a Romanorum munditie Neomagenses Veteres ad Vahalim fatentur pulcherrima vasa & vitae elegantioris instrumenta, quae magno numero illic effossa sunt olim, & quotidie paene hic novorum munimentorum molitione effodiuntur. Illud dolendum imperitorum atque avarorum hominum arbitrio ea permitti, & in alienas terras avehi, ex quibus magnum lumen & decus Batavorum rebus accedere possint. Et ne de luxu hominum per has terras dubites, Caligula in iis sororum suarum ornamenta & supellectilem, veterisque aulae instrumenta immensis pretiis, majoribus etiam, quam Romae venibant, vendidit, vide Suetonium in vita Caligulae cap. XXXIX. Rem enim hanc in Batavorum Insula actam docet Dio Cassius libro LIX. pag. 656. id quod ante a me pluribus est demonstratum. Unde & spes lucri plurimos negotiatores Romanos in eam excivit, quos in bello Batavico a Brinione occisos scribit Tacitus Historiarum libro IV. cap. 15. Tanto autem magis in Insula Batavorum Scholam institutam arbitror a Romanis, quod non studiosius ex hac gente ob fidem & fortitudinem Imperatores Romani milites, exercitus robora, corporique suo ac saluti praesidia adsciscebant, quam Civitati suae cives. Multos namque ex his civitate donatos certum est, & inde plurimi Batavi Romanarum familiarum nominibus insignes fuere, inter quos ipse Claudius

dius Civilis una cum fratre Julio Paullo, atque alii, quos Romana historia & prisca monumenta narrant. Deprecor autem invidiam, si libere dixero, saepius me miratum esse inficetam nonnullorum sententiam de Claudii Civilis nomine, quod ex lingua vernacula, id est Belgica, exponendum censent. Verum hujusmodi quae sunt, mittimus hoc loco.

Non vero dubito, nonnullos fore, qui cum legant, me ad Romanorum Castra ludum litterarium revocare, tritum illud occinant, Quid Musis cum Marte? Sed hi parum perspecta habent Romanorum studia, a quibus ne ipsa quidem Castra vacarunt, in quibus non adolescentes tantum primae lanuginis & tirones exercebantur, sed & belli Duces & justa aetate viri. Mitto Africanorum & Fulvii nobilioris exempla, nec de Pompejo atque Augusto dico, quos constat in ipsis Castris declamavisse. Ipse Julius Caesar plurimos libros, quos reliquit, quorum nunc maxima pars periit, in Provinciis & Castris scripsit, Palliatosque, id est Graecos homines litteris operantes, per bella & Castra circumduxit, vide Suetonium in vita Caesaris cap. XLVIII. & LVI. Nil dico de Coborte Drusi & Germanici, qui Germaniae praefuerunt, atque aliorum Proconsulum aut Praetorum. Horatius quidem ex Julio Floro sciscitatur libro I. epist. 3. v. 6.

Quid studiosa cobors operum struat?

& libro III. od. 4. v. 37.

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cobortes abdidit oppidis,
Finire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro.

Ex quibus versibus Torrentius defendit multorum codicum scripturam in epistola Augusti ad Tiberium, cujus fragmentum extat apud Suetonium in vita Tiberii cap. XXI. *Vale jucundissime Tiberi, & rem gere feliciter,* ἐμοὶ καὶ ταῖς ΜΟΥΣΑΙΣ ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ. Scripta haec ad Tiberium cum bellorum caussa abesset, indubitatum est; bella tamen eo tempore in Germania aut Caninefatibus gessisse temerarium fuerit adseverare, tametsi eum in his regionibus bella gessisse constat, ipsosque Caninefates domuisse. Caeterum extrema illa

 verba

verba Μῶσαις ςρατηγῶ non mediocre pondus adjiciunt iis, quae de Romanorum lucubrationibus per Castra ante diximus. Imo nullus fere in Provinciam sine Graecis id est litteratis comitibus, proficiscebatur, tu vide quae Casaubonus & Graevius notarunt ad Suetonium in Tiberio cap. XLVI. Ex his atque ex multis aliis constat, eos, qui in Cohorte atque in contubernio summi Ducis militabant, lucubrationibus doctis, neque etiam sine Magistris, sese dedisse, ad quos Magistros etiam aditus fuit Provincialibus. Hoc certum: qui ex ludo litterario in Caninefatibus exciti, & ad mimicum bellum a Caligula praemissi sunt, Caninefates, Batavi aut Germani fuerunt. Tales enim oportuit fuisse, qui praeberent scenam belli Germanici. Tempus autem conditi hujus ludi si cogitamus, nullum magis idoneum inveniemus, quam illud, quo Germanicus Caesar Germanicis exercitibus praefuit, atque uxor ejus Agrippina in Caninefatibus Praetorium suum excoluit. Et videri possit in ipso suo Praetorio hunc ludum aperuisse, sive litterarum amore, quo maritus Germanicus non magis, quam ipsa ferebatur, sive etiam studio excolendi Provinciales, suosque liberos, quos secum in Germania habuit. Germanici ingenium & doctrinam praedicarunt multi, prae caeteris Suetonius in Caligula cap. III. & Ovidius initio libri I. Fastorum, testantur quoque, quae hodie ejus nomine circumferuntur, poemata. Agrippinae Augustus collaudavit, vide Suetonium in Augusti vita cap. LXXXVII. Ipsa autem Agrippina non sola maritum comitata est in provincias, sed liberos etiam in Germaniam secum abduxit, nonnullos in ea provincia peperit. Testis est idem Suetonius in vita Caligulae cap. VIII. & IX. Tacitus Annalium libro I. cap. 41. & 44. Dio Cassius libro LVII. pag. 650. Neque a vero abhorrere videtur, Caligulam & fratres ejus nonnullos sororesque in hac Schola fuisse institutos. Nam versatos eos multum cum Matre in hoc Praetorio ambigendum non est, Praeceptores autem hic iis non defuisse negari non potest. Hoc scimus a doctis parentibus, Germanico atque Agrippina, doctrinis liberalibus egregie eruditos fuisse non filios solum, sed & filias. Sustulit autem Germanicus ex Agrippina liberos complures, nonnullos etiam ante quam in Germaniam iret, vide Suetonium dicto loco. In hac autem Schola an alibi litteris imbuta fuerit illa horum filia, quae Mater Neronis fuit, non facile dixerim; ultra sexum studiis expolitam fuisse, commentarii ejus docent, Laudati Tacito Annalium libro IV. cap. 53. & Plinio in In-

dice

dice libri 7. necnon eodem libro cap. 8. in quibus Agrippina illa vitam suam, & casus suorum posteris memoravit.

Verum haec dum scribo de ludo litterario, qui in Caninefatum terra & prope Batavos fuit, commode atque ut puto opportune in mentem venit *Batavae auris*, quam notavit Martialis, aut dicam potius homo aliquis, quem Poeta hic non nominat. Epigramma est 82. libri VI.

Quidam me modo, Ruse, diligenter
Inspectum, velut emtor, aut lanista,
Cum vultu digitoque subnotasset:
Tune es, tune, ait, ille Martialis,
Cujus nequitias jocosque novit,
AUREM *qui modo non habet* BATAVAM?
Subrisi modice, levique nutu,
Me, quem dixerat esse, non negavi.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi, quia sum malus Poeta.
Hoc ne saepius accidat Poetae;
Mittas, Ruse, mihi bonas lacernas.

Auris ergo Batava nequitias jocosque Martialis contemsit. Cur contemserit non additur, suspicantur tamen Eruditi hodie ideo contemsisse, quod haec natio aure hebetiore atque ingenio minus exculto fuit. Aure hac atque ingenio fuisse vere Batavos olim mihi incompertum est. Illud ex Tacito didici Historiarum libro IV. cap. 13, Claudium Civilem, regia in Batavis stirpe ortum *ultra quam barbaris solitum*, INGENIO SOLERTEM fuisse. Potuisse etiam Batavos omnes acuere & expolire aurem animumque litteris, quae tanti fiebant Romae, propter opportunitatem Scholae hujus non dubitandum. Nec puto neglexisse illos omnino hanc Romanae humanitatis partem, quia a cultiore vita hujus populi non prorsus abhorruerunt, ut modo ostendimus. Quod si tamen alienior fuit ab ea, quam caeterae Barbarae nationes; quod inde opprobrium, aut quis pudor? si gens, inter innumeros Barbaros armis domitos & in servitutem redactos, una libera sprevit eum vitae cultum, quem imperiti humanitatem vocabant, prudentes partem servitutis censebant; inter quos gravissimus Auctor Tacitus in vita Agricolae cap. XXI. suspectam-

verba Μῦσαις σρατηγῶν non mediocre pondus adjiciunt iis, quae de Romanorum lucubrationibus per Castra ante diximus. Imo nullus fere in Provinciam sine Graecis id est litteratis comitibus, proficiscebatur, tu vide quae Casaubonus & Graevius notarunt ad Suetonium in Tiberio cap. XLVI. Ex his atque ex multis aliis constat, eos, qui in Cohorte atque in contubernio summi Ducis militabant, lucubrationibus doctis, neque etiam sine Magistris, sese dedisse, ad quos Magistros etiam aditus fuit Provincialibus. Hoc certum: qui ex ludo litterario in Caninefatibus exciti, & ad mimicum bellum a Caligula praemissi sunt, Caninefates, Batavi aut Germani fuerunt. Tales enim oportuit fuisse, qui praeberent scenam belli Germanici. Tempus autem conditi hujus ludi si cogitamus, nullum magis idoneum inveniemus, quam illud, quo Germanicus Caesar Germanicis exercitibus praefuit, atque uxor ejus Agrippina in Caninefatibus Praetorium suum excoluit. Et videri possit in ipso suo Praetorio hunc ludum aperuisse, sive litterarum amore, quo maritus Germanicus non magis, quam ipsa ferebatur, sive etiam studio excolendi Provinciales, suosque liberos, quos secum in Germania habuit. Germanici ingenium & doctrinam praedicarunt multi, prae caeteris Suetonius in Caligula cap. III. & Ovidius initio libri I. Fastorum, testantur quoque, quae hodie ejus nomine circumferuntur, poemata. Agrippinae Augustus collaudavit, vide Suetonium in Augusti vita cap. LXXXVII. Ipsa autem Agrippina non sola maritum comitata est in provincias, sed liberos etiam in Germaniam secum abduxit, nonnullos in ea provincia peperit. Testis est idem Suetonius in vita Caligulae cap. VIII. & IX. Tacitus Annalium libro I. cap. 41. & 44. Dio Cassius libro LVII. pag. 650. Neque a vero abhorrere videtur, Caligulam & fratres ejus nonnullos sororesque in hac Schola fuisse institutos. Nam versatos eos multum cum Matre in hoc Praetorio ambigendum non est, Praeceptores autem hic iis non defuisse negari non potest. Hoc scimus a doctis parentibus, Germanico atque Agrippina, doctrinis liberalibus egregie eruditos fuisse non filios solum, sed & filias. Sustulit autem Germanicus ex Agrippina liberos complures, nonnullos etiam ante quam in Germaniam iret; vide Suetonium dicto loco. In hac autem Schola an alibi litteris imbuta fuerit illa horum filia, quae Mater Neronis fuit, non facile dixerim; ultra sexum studiis expolitam fuisse, commentarii ejus docent, Laudati Tacito Annalium libro IV. cap. 53. & Plinio in Indice

dice libri 7. nec non eodem libro cap. 8. in quibus Agrippina illa vitam suam, & casus suorum posteris memoravit.

Verum haec dum scribo de ludo litterario, qui in Caninefatum terra & prope Batavos fuit, commode atque ut puto opportune in mentem venit *Batavae auris*, quam notavit Martialis, aut dicam potius homo aliquis, quem Poeta hic non nominat. Epigramma est 82. libri VI.

Quidam me modo, Rufe, diligenter
Inspectum, velut emtor, aut lanista,
Cum vultu digitoque subnotasset:
Tune es, tune, ait, ille Martialis,
Cujus nequitias jocosque novit,
AUREM *qui modo non habet* BATAVAM?
Subrisi modice, levique nutu,
Me, quem dixerat esse, non negavi.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi, quia sum malus Poeta.
Hoc ne saepius accidat Poetae;
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

Auris ergo Batava nequitias jocosque Martialis contemsit. Cur contemserit non additur, suspicantur tamen Eruditi hodie ideo contemsisse, quod haec natio aure hebetiore atque ingenio minus exculto fuit. Aure hac atque ingenio fuisse vere Batavos olim mihi incompertum est. Illud ex Tacito didici Historiarum libro IV. cap. 13, Claudium Civilem, regia in Batavis stirpe ortum *ultra quam barbaris solitum*, INGENIO SOLERTEM fuisse. Potuisse etiam Batavos omnes acuere & expolire aurem animumque litteris, quae tanti fiebant Romae, propter opportunitatem Scholae hujus non dubitandum. Nec puto neglexisse illos omnino hanc Romanae humanitatis partem, quia a cultiore vita hujus populi non prorsus abhorruerunt, ut modo ostendimus. Quod si tamen alienior fuit ab ea, quam caeterae Barbarae nationes; quod inde opprobrium, aut quis pudor? si gens, inter innumeros Barbaros armis domitos & in servitutem redactos, una libera sprevit eum vitae cultum, quam imperiti humanitatem vocabant, prudentes partem servitutis censebant; inter quos gravissimus Auctor Tacitus in vita Agricolae cap. XXI. suspectam-

que etiam habuerant Germani ante in Italo, quem natum fratre Arminii, sed educatum Romae Regem elegerunt, crepantibus nonnullis *infectum alimonio, servitio, cultu omnibus externis.* Et cui tandem populo probro unquam fuit, si facere fortius, quam modulate dicere didicerunt? Certe non priscis Romanis, quorum moribus res Romana diu stetit. Neque illas artes Anchises Pater, aut sapientissimus Poeta Domitori Gentium populo praecipit Aeneidos libro VI. v. 850. imo alii

Orabunt caussas melius, coelique meatus
Describent radio & surgentia sidera dicent.
TU REGERE IMPERIO POPULOS, ROMANE, MEMENTO.

Forte tamen Batava ista auris non tam obtusa fuit ad percipiendam carminum suavitatem, quam mens abhorruit a profligatissima Auctoris, Martialem dico, adulatione & divinis Domitiani laudibus, quem veri atque ingenuo animo Scriptores Neronem & generis humani pestem dixerunt. Crediderim autem spectatam sibi virtutem Domitiani, quam ad Rhenum praestitit; quam quidem Poeta iste laudibus ad coelum effert, Theodosius vero ex Dione ita praedicat, ut ne hostem aut pugnam quidem oculis eum sustinuisse dicat, vide Dionis Historiam pag. 760. & si Dacica Domitiani victoria irrisa & acerbissimis dictis a populo Romano fuit taxata, ut Xiphilinus ex eodem Dione tradit pag. 763. quis miretur, nequitias & jocos, id est sacrilegas laudes truculentissimi tyranni invisas fuisse populo libertatis avido. Imo quis Batavus istic legere sustinuit

Fractusque cornu jam ter inprobo Rhenus,
Teneat domantem regna perfidae Gentis.
Te summe mundi Rector & Parens orbis,
Abesse nostris non tamen potes votis.

quod est epigramma 7. libri VII. Video placuisse nonnullis ad hunc versum, etiam in ipsos Batavos movisse Domitianum, verum id mihi nondum probatum, tametsi me nec hoc Juvenalis praeterit ex Satyra VIII. v. 51.

Hic

Hic petit Euphraten juvenis, domitique BATAVI
Custodes Aquilas; armis industrius.

aut etiam hoc, Silii libro III. v. 607.

At tu transcendes, Germanice facta tuorum,
Jam puer auricomo praeformidate BATAVO

Molitum eum nonnihil in hac terra, sed praereptam a Cereale victoriam indicare videtur Josephus de Bello Judaico libro VII. cap. 13. Neque mirum magnam rei gestae laudem ob hunc conatum a poetis ad Domitianum Imperatorem esse translatum. Veledam autem nationis Bructerae Virginem, quam Tacitus Historiarum libro IV. cap. 6. late imperitasse scribit, cepisse Statius testatur, poetica an vera fide judicent alii, ille autem Sylvarum libro I. carmine 4. v. 89. haec canit

Non vacat Arctoas acies Rhenumque rebellem,
Captivaeque preces VELEDAE, *&, quae maxima nuper*
Gloria, depositam Dacis pereuntibus urbem
Pandere.

Captam autem domitamque per haec tempora Veledam existimo, cujus Virginis imaginem, ut captiva manibus vinctis ducitur, ex lapide Brittenburgico pulcherrimo dabimus opportuniore tempore. Servat hunc lapidem Cl. Havercampus, qui picturam ejus nuper ad me misit. Fuerat autem dudum gravis & invisa Batavis mulieris hujus potentia. Sive vero obierit Bataviam Domitianus, sive eam nunquam inviserit, hoc comperisse me puto, nullius Imperatoris nummos frequentius erui per has terras, quam Domitiani hujus, tametsi nullum ejus monumentum aliud extet. An illud Senatusconsultum tribuendum, quo eradendos ubique titulos ejus & abolendam memoriam decrevit Senatus, de quo Suetonius in vita Domitiani capite ultimo, an suo odio ducti Batavi abjecerint hos invisissimi Impera-

peratoris nummos facilius, illis caerimoniis, quibus nummos olim abjicere solebant Romani, aliorum judicium esto. De illo Martialis versu hoc addo. Urebat poetam aut admiratorem ejus, quod a Britannis forte & a Getis, ut ipse jactat libro XI. epigr. 3. legebatur, a Batavis autem plane contemnebatur, & quod hi ratione ducti faciebant, hoc ille rusticitati tribuit.

Quanquam autem haud difficiliter hoc modo ab injuriis poetae defenditur *Batava auris*, non tamen praetermittenda duxi, quae aliquando cogitatio alia animum subierit. Dubitavi namque, an inde auris Batava in proverbium abierit, quod ut Batavi forma proceri, grandibusque membris & artubus, sic etiam auribus prolixioribus fuerint, cujusmodi aures cavillantium jocis fuerunt expositae, ut Claudii & Neronis a Persio notatas legimus in antiquo poetae hujus Scholiaste ad Satyram I. v. 121. Tales autem aures cognoscuntur in signis ac imaginibus priscorum Batavorum, quarum unam dono mihi haud ita pridem dedit Vir Amplissimus J. M. Haesbaert Cliviae civitatis Vir Consularis & studiosus eruditionis antiquae, raro, ut in illa gente, exemplo. Imaginem exhibui in hac Tabula,









quae aures non tantum solitis prolixiores repraesentat, cujusmodi etiam apud Smetium reperiuntur, sed & supra in acutum exeuntes, ut dicas ex vulgari aurium Batavarum convicio in lusum formatas ab artifice, de qua artificum consuetudine vide Martialem epigrammatum libro XIV. epigram. 176. Plures ejusmodi nuper Zutphaniae vidi in instructissimo Illustrissimi Hekerani Gazophylacio. Non dissimiles hae erant illis, quas Johannes Smetius depictas

tas

tas exhibet in antiquitatibus Neomagensibus pag. 70. *Forma & facies*, inquit, *singulis diversa*, *sed omnibus tetrica & severa est*, *frons alta*, *barba promissa*, *oculi grandes* AURES*que fere* ARRECTAE ET CAPACES, *capillus in nodum circa verticem ligatus conglobatur*. Quanto autem pressius in nodum fuerunt collectae eorum comae, tanto apertius patebant aures. Putem etiam ab his auribus explicandam esse fabulam Elini, quem regem asininis auribus praeditum fuisse fingunt Batavorum Annales. vid. Johannis Gerbrandi a Leidis Chronicon libro I. cap. 12. Junius in Bataviae Historia pag. 18. testatur, se etiam hunc in nummis invenisse. Sed quia addit in adversa parte nummi Elinum ostendi, in altera vero DORESTATUM, persuasum mihi est, hunc Elinum Madelinum Monetarium esse, cujus crebra mentio in nummis Dorestati, & Trajecti (in nummis est TRIECTI) Suspicor autem primam syllabam MAΔ obscurius expressam in nonnullis, aut a Junio aliisque, qui eos inspexerunt, per se expositam esse, & non commistam & continuatam cum parte vocis, quae sequitur. Proclivis autem hic lapsus fuit, quod reperiantur nummi, in quibus *Mad* & *Elinus* interjecta distinctione sejunguntur hoc modo MAΔ ELINVS M. Idem etiam nummus aureus fuit, quem se habere scribit Arnoldus Buchelius in eruditissimis notis ad Chronicon Joannis de Beka in vita Hungeri, qui similiter prave eum de Elino rege est interpretatus. Sunt alii, in quibus M littera obscurius aut dicam potius barbare depicta est, ut facile fugerit oculos sensumque intuentium. Talem etiam eum fuisse puto, quem sibi Johannes Isacius Pontanus in Historia Geldriae libro I. in fine ostensum scribit a Johanne Smetio, inventum in pago vicino Arnhemiae, quem olim Redichem dixere, nunc Rencum nominant, hac inscriptione: ΔORESTAT . . . . ITΔELINVS M . . . . Haud levior est Wernheri Teschenmacheri error, qui in Annalibus Cliviae parte I. pag. 91. Hadelinum nominat, & Praesidem fuisse dicit, qui Francorum regum nomine Dorestati rempublicam administravit: ectypa nummorum Madelini hic damus.

Inveniuntur Nummi num. 1. & 2. in Francisci Mieris Monetis Sigillisque Episcoporum Ultrajecti; ipsi vero Nummi 3. & 4. adservantur in Museo Viri Celeberrimi Sigeberti Havercampi. Quia vero de origine fabularum, quarum foecundissimi sunt Batavorum Annales, dicere coepimus, unam addere liceat, ex qua intelligere datur, ex stercore hoc nonnunquam etiam aurum colligi posse, id quod tamen relinquimus iis scrutandum, qui majore otio abundant, quam nos. Tu assem para, & accipe fabulam ex Cornelio Aurelio in libro primo Bataviae cap. I. Aram scribit erectam fuisse in inferiore Insulae Batavorum parte Deo Monischyro. *Hic oraculum erat*, inquit, *omnium*, *que tum in Batavia minoreque Frisia erant*, *celeberrimum. Unde & finitimi omnes huc consultandi gratia confluebant*, *& offerentes Deo loci*, *parvulos suos credebant fortiores omnibus evasuros.* Haec aliter & prave distincta sunt in Editionibus, quas possideo & forte ipse Aurelius non intellexit eum ex quo fabulam hanc descripsit. Constat enim ex agno immolato, de quo sequitur non filios oblatos Deo, sed pro filiis victimam datam. Pergit Aurelius. *Proinde exire tritum in gentibus proverbium*, *fortissimos omnium Batavos esse*, *qui Deo uni forti ab ipsis cunabulis dicarentur.* Cetera, quae longo sermone adduntur, si cui cognoscere volupe est, ex ipso Aurelio cognosci velim. Me enim dudum taedet ineptiarum, tantum ea inde delibavi, quae confirmantur hac inscriptione

HER-

HERCVLI MA
CVSANO ET
HAEVÆ VLP
LVPIO ET VL
PIA AMMAVA
PRO NATIS
V. S. L. M.

Sciolus aliquis ut ostenderet se Graece noscere Herculem Μονίγχυρον dixit. Alium Ischyriona Heroem Germania vidit, de quo Henricus Turckius in Fastis Carolinis ad annum Christi DCCLXXII. notat. 4., aut quid vidisse dico? satis namque constat, commentum esse hominis otio suo abutentis. Snoius autem Batavicarum rerum libro III. ab illo Monoschyro vico Monster haud longe ab Haga dissito nomen inditum nugatur. Ceterum ita legi in lapide, ut Inscriptionem nunc edimus, ex illis didici, quibus negotium dederam, ut eum Bruxellis, ubi in Jesuitarum coenobio nunc visitur, cum aliorum exemplis compararent. Scribit Altingius in notitia Germaniae Inferioris in voce HERCULES, Inscriptionis hujus copiam sibi a Cl. Graevio factam, additque in Geldria repertum lapidem, in qua regione Herculem fuisse cultum cum ex Herculis Castris cognoscimus, quae VIII. M. P. Neomago absuerunt, tum ex aliis monumentis, quae loco opportuniore recensebimus, quando & de Ulpii Ulpiaeque nominibus, Lupione & Ammava inquiremus, nec non de etymo vocis Macusani, quod omnium optime ex pulcherrima hac inscriptione eruitur. Vetusta namque Lingua, nostra *Magazobuis* nutricium significavit. Herculi autem tanquam nutricio Deo liberos commendarunt majores nostri. Vox illa cognoscitur ex Vocabulario Teutonico Schilteri. Neutrum autem illorum, qui sunt in saxo, Batavum fuisse puto, sed a Luppia amne & Chamavorum regione ad colendum Herculem venisse. Miraculosam illam Ursulae fabulam cum virginum undecim millibus, milesiis sermonibus haud paullo suaviorem, quemadmodum Velserus ex rebus Batavicis interpretetur, operae pretium est cognoscere ex notis ejus ad Tabulam Itinerariam Antiquam pag. 732. Descripsit eadem Scriverius in Tabulario Antiquitatum Batavicarum pag. 219.

Gestit nunc animus per monumenta singula ire, in Brittenburgi ruinis inventa, quorum nonnulla in hoc opere tetigi, alia, quia locus non erat, plane praeterii. Verum novisti, Doctissime Loni, me in eo cum maxime esse occupatum, ut quaecunque monumenta Romanorum in Batavia & proximis regionibus hodie durant, aut ad avorum aetatem durarunt, & nobis ab his sunt tradita, colligam, adnotationibus dilucidem, originesque & fata locorum, quantum fieri potest, inde eruam. Quare satius esse duxi, uberiores reliquiarum Brittenburgicarum commentarios extrahere in illud volumen, quod de omnibus antiquae Bataviae monumentis Romanis meditor. Nonnullos lapidum vetustorum titulos mihi in hanc rem suppeditatos a te gratus agnosco. Symbolam etiam alii contulerunt, quorum meritorum ut testata sit memoria sedulo curabo. Tu autem nominis tui famam inmortalibus scriptis extendere perge. Dabam Arnhemiae A. D. VI. Id. Januar. CIↃIↃCCXXXIII.



HEN-

HENRICI CANNEGIETERI

NOTAE ATQUE OBSERVATIONES AD ABRAHAMI MUNTINGII VIRI CLARISSIMI DISSERTATIONEM HISTORICO-MEDICAM DE VERA ANTIQUORUM HERBA BRITANNICA.

AD umbilicum perduxeram Dissertationem meam de Brittenburgo, Matribus Brittis, Britannica herba, Brittia Procopio memorata & antiquissimis Britannorum per Galliam & Germaniam sedibus, cum ecce Abrahami Muntingii Viri Clarissimi atque in patria Groningae & Omlandiae Academia Botanices Professoris liber de vera antiquorum herba Britannica ejusdemque efficacia contra stomacacen seu scelotyrben ad manus meas pervenit. Editus est ille liber, quem Auctor Dissertationem nominat, Amstelodami apud Hieronymum Sweerts Anno CIↃIↃCLXXXI. probatus etiam mox Actorum Lipsiensium Scriptoribus anno insequenti CIↃIↃCLXXXII. pag. 15. qui eum industrium & curiosum Botanicum nominant. Quia vero in eo libro, qui omnium manibus in his terris versatur, haud pauca offendi a sententia mea aliena, visum mihi fuit faciundum, ut rationes Viri Clarissimi diligentius exigerem, non rerum omnium, infinitum enim hoc foret, sed earum duntaxat, de quibus in meo opere disserui. Exegi autem illas ea modestia, quae bonos & probos decet, haud inmemor humanitatis, quae colenda nobis est demandata. Sequimur ordinem a Viro Clarissimo institutum. ita autem ille

AD CAPUT II.

Male Cl. Muntingius Justinianum a Britannica herba BRITANNICUM *cognominatum scribit. Non hoc cognomen Justiniano fuit. Tempore Justiniani Insulae Britannicae occupatae tenebantur a Saxonibus. Herbae, Regum,*

non

non contra Reges herbarum nominibus dicti fuerunt. Quanta existimatio Britannicae fuerit Romae. Immodicis laudibus eam extollit Auctor. Perperam Plinius citatus. Dioscorides quo tempore vixerit. Nonnullorum error de aetate ejus perstringitur. Quo tempore Graecis & Latinis Britannica innotuerit. Quando Germanicus in Germaniam missus. Servilii Damocratis aetas inquiritur. Britannica non herba Magica.

PAG. VI. *Justinianus autem optimus Imperator ob insignem etiam Herbae bujus quondam apud Romanos existimationem, se quoque reliqua inter cognomina* BRITANNICUM *scripsisse credibile.* Frustra quaesivi Britannici cognomen inter cognomina Justiniani optimi Imperatoris, credo autem Justinianum Principem eum significare, non posteriorem, qui ob recisas nares Rhinotmetus est dictus, sed Juris Romani illum architectum nobilissimum, cujus cognomina non Procopius, Agathias, Paullus Diaconus tantum memorant, sed & ipse nequaquam eorum parcus fuit aut nimis verecundus praeco. Collegit etiam & exposuit singula Gabriel Trevorius in Observatione Apologetica. Exposuerunt eadem alii, sed nominis Britannici nullus meminit. Verum fac Britannicum eum dictum, quis non existimet a Britannicis insulis, aut gentibus hoc cognomen sibi adoptasse ad similitudinem reliquorum nominum, quae a profligatis & domitis gentibus adscivit? atque ad exemplum eorum Imperatorum, qui a devictis Britannis sese Britannicos dixerunt? tametsi tantum abest, Justinianum Britanniam domuisse, ut contra partim notae Romanis Graecisque Imperatoribus Scriptoribusque eae insulae fuerint per Justiniani tempora, vide Dissertationem nostram maxime ea, quae de Procopii Brittia disputavimus Cap. 6. pag. 57. & 7. ac potissimum sub ejus fine. Dudum namque illae Insulae occupatae tum erant a Saxonibus aliisque barbaris. Contra vero quis credat id nominis induisse sibi ab herba in hostico loco, Frisiorum terram dico, inventa, quam terram nec ipse Justinianus nec legiones ejus unquam adierunt, dudum ante Justinianum Romanis ereptam? Haud ignoro & docet Plinius Naturalis Historiae Libro XXV. cap. 3. & 7. atque ipse Muntingius in Dedicatione operis sui, herbas Regum

&

& summorum Virorum nominibus appellatas, qui eas invenerunt: Sed hoc nescio, eosdem herbae alicujus nomine dictos. Verum ait Clarissimus Auctor ob insignem herbae hujus, quondam apud Romanos, existimationem sic dici voluisse Justinianum. Verum quid illa herbae hujus existimatio ad Imperatorem? Sed & vellem ostendisset Auctor tantam, quantam dicit, existimationem. Equidem eam ignoro. Scio quae de honorifica herbae hujus ostentatione & suspensione scribit infra cap. 16. Sed & commenti hujus Auctorem alium, quam Muntingium desidero. Verum si tantus herbae hujus in Populo Romano & inter Medicos Romanos honos fuit; cur de eo Plinius, imo Graeci omnes & Romani tacent? Nec credo, praeteriturum fuisse Plinium insuetos hujus herbae honores, si unquam sibi cogniti fuissent: solet namque is singularia quaeque studiose persequi; & ceteris copiosior est in describenda illa herba. Metuo autem, ne Clarissimo Auctori acciderit, quod multis usu venire videmus, qui inmodicis laudibus onerare consueverunt, quodcunque describendum suscipiunt.

PAG. X. *Ipsa autem ejus denominatio.* Errabit, qui existimat, haec, & quae sequuntur, Plinii esse. Alibi etiam aliena Scriptoribus antiquis supposita videas, errore an consilio, nescio.

IBIDEM. *Dioscoridis solummodo tempore, quem Cleopatrae Aegypti Reginae, & C. Julii Caesaris, Romanorum Imperatoris primi, aetate nonnulli vixisse prodiderunt.* Ii hoc prodiderunt, qui Suidae verba in voce Διοσκουρίδης de Pedaneo Dioscoride, Auctore ὕλης ἰατρικῆς sunt interpretati, sed errorem eorum coarguit Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Graeca libro IV. cap. 3. §. 2. in notis. Imo sola illa herba Britannica, cujus meminit hic Dioscorides, docet illum seriorem esse hac aetate. Verior ergo est Salmasii sententia in Exercitationibus Plinianis pag. 290. anteriorem eum, non tamen longe, Plinio esse. Quod autem censet Clarissimus Muntingius, Britannicam dudum ante tempora Julii Caesaris notam fuisse Graecis atque Latinis, in eo fallitur. Germanico namque Caesari in Germania bellum gerenti primum illa demonstrata est a Frisiis, ut perspicue docet Plinius libro XXV. cap. 3. Germanicus autem, acto in Urbe Consulatu ab Augusto in Germaniam missus est, Munacio Planco & Silio Caecina Consulibus, quorum Consulatum Pighius in Annalibus confert in annum V. C. DCCLXV. Neque huic sententiae adversantur Servilii Democratis versus, ut exi-

existimat Clarissimus Muntingius apud Galenum in libro de Antidotis II. Descripsit ille hos versus Latine redditos. infra cap. XV. pag. 143. in quibus Democrates nihil aliud de Britannica, nisi quod usum hujus herbae in hydrophobia commendat. Errat Muntigius si Democratem hunc, quem nonnulli antiqui libri Damocratem nominant, longe ante Plinii aetatem vixisse autumat: nuperum namque ea aetate fuisse ex Plinio cognoscimus Libro XXV. cap. 8. ubi *invenit* NUPER, inquit, *& Servilius Damocrates e primis medentium, quam appellavit* hiberida. Aequales autem Servilio huic fuisse videntur, quos ipse versibus illis commemorat, Niceratus & Titius Patricius.

PAG. XI. *Ex hisce quidem haud absurdum foret, si quis Britannicam herbam esse Magicam statueret.* Sententiam hanc ex argumentis, quae proponit Auctor, sagaciores colligant; de me fateor, perspicere eam non posse.

AD CAPUT III.

Male negatur, Cauchos ad Rhenum habitasse. Frisiorum terra an Galliae Belgicae adnumerata a Romanis? Plinium Medicum fuisse, negatur. Plinium Frisiam & proximas regiones obiisse verisimile est. Quando eas obierit. Defenditur a manu critica Cluverii & Muntingii. Hic sibi non ubique constat. Pleraeque artes a Graecis ad Romanos delatae. Britannicae notitia quomodo Romam pervenerit? Rei Medicae Scriptoribus multis Romana nomina fuerunt, ut Dioscoridi, Damocrati, Aeginetae, Galeno.

PAG. XIX. *Post Frisios, Cauchorum terram Helium inter & Flevum olim extitisse Plinius innuit, quod veritati contrarium esse Auctorum gravissimorum scripta, infallibili certitudini innixa testantur, hisce Plinii verbis, ut ingenue fatear, hac in re adstipulari nequeo.* Negat ergo vir Doctus Cauchos ad Rhenum habitasse, imo quod amplius est inter Helium & Flevum nullum iis locum fuisse: Idem docuit ante Philippus Cluverius, cujus sententiam refellimus

nam in Dissertatione nostra Cap. 5. De Frisiabonibus, quos similiter his locis extorres agunt Cap. 3. pag. 26. & Cap. 8. pag. 90.

PAG. XXI. *In hisce Gallo-Belgicae oris Medicum agens.* Duo in his Auctor adfirmat, quae, si liquida forent, a nobis praetermittenda non fuerunt. Primo, Frisionum terram Gallo-Belgicae adnumerandam fuisse; secundo, Plinium egisse Medicum in his oris. De priore parte alibi nobis dicendum erit. Plinium autem Medicum egisse hic, ignoro. Spectasse eum & obiisse has oras credibile est. Tu vide, quae ipse de se libro XVI. cap. 1. *Sunt vero in Septentrione* VISAE NOBIS *Cauchorum gentes.* Obiisse autem eas, ut militem, puto in castrensi Titi Vespasiani, dein Imperatoris, contubernio, ut de quo ipse in praefatione operis sui ad Titum. Meruit autem Titus in Germania Tribunus militum, ut testatur Suetonius in Titi vita Cap. 4. Medicum hic, aut alibi, egisse Plinium credibile non est, ob ea quae de Medicis Romanis ipse tradit Libro XXIX. cap. 1. Forte tamen eum Medicum propterea Muntingius dicit, quod herbarum plantarumque indolem, ut in reliquis terris, sic etiam in Frisia est scrutatus. Verum cum rerum omnium naturam studiose ille indagarit, unde & Naturalis Historiae suae nomen indidit, non Medici magis, quam aliarum artium nomine erit censendus.

PAG. XXII. *Plinii locum emendandum atque hoc modo legendum statuo.* Plinii locus hic est ex libro IV. cap. 15. in eo voces has *Cauchorum & Frisiabonum* mutat in *majorum & Frisiorum minorum*, secutus, ut consuevit sententiam Cluverii. Frisiabones ergo excludit ab hoc loco, & tamen eos retinendos censet pagina superiore, ut solet sibi in nonnullis parum constare Clarissimus Auctor. Equidem autem nihil migrandum puto in illo Plinii loco. Quae porro de Batavorum, Caninefatum aliorumque populorum sedibus & conditionibus disputat, ea ab aliorum sententiis nil discrepant, quanquam de multis nos in aliis omnino discedimus. Res haec prolixiores disputationes requirit, quae ab hoc loco alienae.

PAG. XXVIII. *Romani autem Graecorum vestigiis, accepta ab illis una cum nomine cognitione, & usu, Britannicam dixere.* De plerasque artes, quae ad excolendum ingenium faciunt, a Graecis ad Romanos esse delatas, sed Britannicae haec origo est, quam & ante diximus. Frisii aut barbari in Frisia Germanico Caesari eam demonstrarunt. Hinc Medici aliique rerum memorabilium

studiosi,

studiosi, qui in exercitu Germanici erant, acceperunt. Inde [illegible] Romam translata & per terrarum orbem vulgata est. Dubitationem etiam recipit, an illi omnes, qui Graece scribentes mentionem Britannicae fecerunt, Graecis sint accensendi. Majorque dubitatio est, an in Graecia scripserint. Hoc certum Dioscoridi, Democriti, Aeginetae, Galeno, qui meminerunt Britannicae, Romana fuisse nomina, ut Pedanii, Servilii, Paulli, Claudii.

AD CAPUT IV.

Theophrasto non nota fuit Britannica. Theophrasti aetas. Plinii locus expenditur. Britannica dicebatur extra terras posita. Plinii oblivio, item Muntingii originationes notatae.

PAG. XXIX. *Nec tamen hic, Theophrastus, nec illi unquam Britannicae meminerunt, quod equidem scio, nec divinare refert, an Britannicam noverint.* Non opus est divinato, harioloque & divinatore, ut recte Phaedrus, velocior erit usu peritus. Qui enim Theophrasti & reliquorum saecula, quibus vixerunt, cogitat, inveniet per aetatem eos Britannicae notitiam non habuisse. Ante docuimus, Germanico primum innotuisse eam herbam, qui in Germaniam profectus est Olympiade CCXCVIII. atque adeo aliquot post Theophrastum saeculis, qui auditor fuit Aristotelis, & teste Eusebio maxime floruit Olympiade CXIV. Sed nec ipse Auctor negat alibi, ignoratam fuisse Romanis herbam Britannicam, ante illam Germanici expeditionem, ut vide in Dissertatione illius pag. 117.

IBIDEM. *Quamvis tamen alii Graecum illud [illegible] pilosiora vel magis hirsuta, verum meo judicio inconvenienter explicantes.* Imo etiam judicio Petri Pennae & Matthiae Lobelii, quorum sententiam & verba recenset infra Cap. 6. pag. 59. adde Joannem Bodaeum a Stapel in commentariis ad Theophrastum de Historia Plantarum libro VI. pag. 676.

PAG. XXX. *Ad haec Plinius libri vicesimi septimi capite primo.* Miror Plinii hunc locum, qui hic citatur, sine examine prae-

termitti a Muntingio. Quid enim tam contrarium priori, quem ex ejusdem Plinii libro XXV. cap. 3. descripsit, si sedem herbae id est locum spectes, in quo herba ea nata, & Romanis cognita fuit? Ita namque Plinius libro XXVII. cap. 1. ubi agit de herbis, quae ab ultimis terris apportatae sunt: *Parte altera Britannicam ex Oceani Insulis extra terras positis.* Hic docet, Britannicam herbam ex Britannicis insulis mitti. Has enim Insulas intelligi perspicimus, cum ex aliis indiciis, tum ex eo, quod dicit, eas positas extra terras; notum enim illud Poëtae

Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Nec non illud

Et toto deducta Britannia mundo.

Anne autem alia omnia docuit idem Plinius libro XXV. cap. 3.? hic enim, *mirorque*, inquit, *nominis caussam; nisi forte confines Oceano, Britanniae, velut propinquae, dicavere. Non enim inde appellatam eam, quoniam ibi*, nempe in Britannia, *plurima nasceretur, etiam tum* tempore Germanici, nam subacta demum a Claudio, *libera.* Negat ergo productis in id argumentis hoc loco Plinius, quod mox altero post libro affirmaturus est, allatam ex Britannica insula Britannicam. Nihil est, quod ad defendendum Plinium dicamus, nisi aut Britannicam hic dici omnem herbam ex Britannicis Insulis adlatam, non autem illam, quae peculiariter hoc nomine appellatur, natam in regione Frisiorum; aut dormitasse hic Plinium, & fefellisse eum memoriam illorum, quae libro XXVII. cap. 1. ante scripserat, quam virum crebro fefellisse, ut in opere vario, & rerum infinitarum, diversarumque, mirabile non est, animadversumque crebro ab aliis. Et forte apud alios legerat vir inexhaustae lectionis, in Britannorum terra natam esse herbam, quod & verum est, si terram illam non Insularum acceperis, sed partem Frisiae sive Germaniae, nam Insulanorum eorum nonnullos relicta Insula locum & sedem in Frisia occupasse ostendimus in Dissertatione cap. 4. pag. 45. & 46. Lepida sunt & jucunda, quae mox in hoc Capite sequuntur; sed illis jucunda erunt, qui Goropianis originationibus delectantur. Ipse ea mitto, quia nihil ad Britannicam; ob eandem caussam etiam Caput V. intactum relinquimus.

aut aeque in Britannia Batavica fuisse natam

AD CAPUT VI.

Qui Britannicam speciem Betonicae dixerint. Dioscorides defenditur. Oribasius multa ex illo descripsit. Brieten vox Frisica. J. H. Croeseri V. Cl. laus. Britannica Muntingiana an in Gelria nascatur & qualis ibi videatur. Apuleji & Neophyti de Britannica testimonia. Neophyti lectio tentata. Frisii Franci dicti. Betonica sive Vettonica a Vettonibus inventa & nominata. Quare Dioscorides hoc Romanum nomen dixerit. Betonica Latinis Serratula dicta.

PAG. LVII. Rembertus Dodonaeus, *in prima magni sui Herbarii editione, plurima recenset Betonicae nomina, & inter ea quoque Britannicam collocat.* Sed quis ille primae editionis error? Non enim Dioscorides tantum, sed & Apulejus, Neophytus aliique Britannicam dixerunt speciem Betonicae. Et ne dubites de Dioscoridis scriptura & sententia, quam nescio quibus tricis in dubium vocat Noster, eadem Dioscoridis verba Oribasius repetit Collectorum libro XI. qui liber titulo teste ex Dioscoridis scriptis est collectus & consarcinatus.

PAG. LXII. Johannis Fungeri sententia hic traditur de Herba Britannica, qua Frisius ille opinionem Junii refutat de appellatione ejus, quod autem addit de significatione vocis *Brieten*, qua praelonga & crassiora frusta significari dicit, ligonum opera resoluta a terra, Conjungi ~~autem~~ haec velim cum illis, quae eadem voce disputavimus Cap. 4. pag. 46. Non praetereundam duxi hoc loco Joannis Bodaei a Stapel opinionem in Commentariis ad Theophrastum de Historia Plantarum libro VI. cap. 6. pag. 676. quam nunc demum cognosco: Britannicam herbam a Britannica Arce esse dictam, Arcem autem hanc a Germanico Caesare exstructam. Verum haec sententia facile refutatur iis, quae de auctore Arcis illius docuimus in Dissertatione nostra Cap. 9. Britannicae autem herbae appellatio Arce illa antiquior est.

Pag. LXVIII. *Gelriae.* At vero Pharmacopolis & Medicis, quos in Gelria de Britannica interrogavi, ignota ea erat. Misit autem, qua est humanitate, Vir Clarissimus Johannes Hermannus Croeser, Celeberrimus in Groningana & Omlandica Academia Medicinae Professor, eam Gravia urbe Brabantiae Groningam pergens, Amstelodamo ad me plantam, quam Muntingius Britannicam dicit: Ostendi eam Pharmacopolis in hac urbe, qui lapathum nominabant: addubitabant autem folia eadem densitate & laevitate in agris nostris conspici. Hoc certum lapatho simillimam esse. Imo Vir Amplissimus Joannes Commelinus in Catalogo plantarum indigenarum Hollandiae non dubitavit hanc Muntingii Britannicam lapathi nomine appellare, additque vernacula nostra lingua vocari *Groot Waterpatig*, idemque esse, quod Casparus Bouhinus lapathum aquaticum folio cubitali dicit. Dodonaeus autem Hippolapathum magnum, at vero Joannes Bauhinus lapathum maximum aquaticum. In multis autem Hollandiae locis nasci ait ad fossas sive incilia. Ceterum praeter eos, quos hoc capite memorat Auctor, de Britannica scripserunt Apulejus & Neophytus. Verba illius ipse exhibet in Dissertatione sua Cap. 16. pag. 159. hujus autem Claudius Salmasius in Hyla Jatrice cap. 43. Sunt autem haec Βετονίκη, Φράγγοι Βεττονίκα, οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀνθρακαβοτάνον· πόα ἐστὶν ἔχουσα φύλλα ὅμοια λαπάθῳ ἀγρίῳ, ἢ μείονα ἢ μᾶλλον ἡδυόσμῳ ἡμέρῳ, τραχέα δὲ καὶ στύφοντα τῇ γεύσει, καυλὸν ἀνίησιν οὐ μέγαν, ἄνθη ὑπ' ἄκρων πεφυκὰ μικρά. *Betonica, Franci, Bettonica, homines multi anthracabotanon*, quasi dicas carbonariam. *Herba haec est habens folia lapatho agresti similia, sive etiam minora, vel potius folia menthae sativae, aspera vero & gustu adstringentia. Caulem emittit non magnum, flores in summa parte purpureos, parvos.* Quanquam autem Britannicae diserte non meminit Neophytus, ex descriptione tamen liquet, eam designari, quod & Salmasio visum. Imo tu vide, an haec ita legere malis, Βετονίκη, Φράγγοι, Βρεττανική vel Βρεττανικήν, non quod nesciam, Vettonicam etiam Gallis dici, sed quia illa Betonicae species describitur a Neophyto, quae Dioscoridi aliisque Britannica appellatur. A Francis autem Britannicam dictam scribit, quod ea hoc nomine a Frisiis, qui aliquando Franci fuerunt vocati, ut Auctor ostendit Cap. 10. & nos aliquando docebimus, est demonstrata Romanis. Unum hoc addo, Betonicam, cujus inventae laudem Plinius libro XXV. cap. 8. Vettonibus in Hispania ad Tagum

Durianque amnem incolentibus tribuit; hanc Betonicam; inquam, Dioscorides libro IV. cap. I. Romanum nomen fuisse scribit οὕτως. ἡ καλούμενον ψυχρότροφον, ἐπειδὴ ἐν τοῖς ψυχροτάτοις εὑρίσκεται, ἀλλὰ ὃ Ῥωμαῖοι Βετονίκην καλοῦσιν, ἢ ῥοσμαρῖνον. *Cestron Psychrotrophon vocitatur, quoniam frigidis locis invenictur. Latinis Betonica vel Rosmarinus appellatur.* Romanis autem haec appellationem tribuit, quam verius ab Hispanis & Gallis arcessit Plinius, quod ea, ut multae transalpinae voces, paulatim civitate donata Romae, & promiscue in urbe usurpata fuerunt. Scribit autem Plinius genuino nomine Latinis Serratulam dici.

Caput septimum de imperitia Chirurgorum & Circulatorum potissimum est scriptum. Octavum similiter nihil de Britannica. Nonum topho impenditur: Caput decimum Cespitibus & Saxonibus. Quare magno quasi saltu facto ad Caput undecimum properamus, sed & hujus partem priorem mittimus.

AD CAPUT XI.

Cur alii Scriptores Britanniam prolixius, alii strictius memorent: Oribasii institutum in excerpendis Dioscoridis libris. Non satis fideliter Galenum, Paullum Aëtium & alios est interpretatus Muntingius. Paullo Aeginetae lux adfunditur. Is Medicorum praestantium scripta excerpsit. Quantum Britannicae folia lapatho agresti conveniant. Dioscoridis & Oribasii scriptura vindicata. Oribasii institutum in Collectaneis Medicinalibus. Rasorius Oribasium Latine vertit.

PAG. autem CXI. ita pergit. Nam quod in Dioscoridis & Oribasii vulgatis legitur Codicibus radicem scilicet esse tenuem & brevem, quis omnium nostrum mendosissimum esse lubens non fatebitur? Lubrica haec & fallax suspicio & emendandi ratio est: Dioscoridis & Oribasii Codices plus de Britannica memorant, quam Galenus; ergo illorum Codices corrupti sunt. Metuo, ne magna verissimarum historiarum pars intereat, rerumque utilissimarum exem-

exempla eliminanda sint, ab sapientissimis & integrae fidei scriptoribus prodita, si in antiquiorum scriptis nihil probemus, nisi quod omnium ore fuerit narratum. Alii res causasque prolixius, alii brevius & strictius commemorant, neque tamen ob id ullorum fides in dubium est vocanda. Imo si institutum singulorum diligentius inspicias, videbis haud raro negligenda & praetereunda nonnullis, quae aliis enarranda fuerunt. Omitto praeterea indicia, quae aut fidem scriptoris aut librarii Criticis suspectam reddunt; quae sane multa sunt, sed quorum hic nullum apparet. Imo si animum studiose advertas, videbis aliud consilium Dioscoridi fuisse & Oribasio, aliud Galeno & Paullo Aeginetae aliisque in memoranda hac herba. Illi plantarum formas, hi vires potissimum sibi tradendas sumserunt. Atque ut id intelligas, librorum titulos consule. Dioscorides Britannicam in ὕλῃ ἰατρικῇ descripsit. Convenit ergo huic formam plantae, quae Romae & in Graecia peregrina erat, in eo libro tradere. neque deflectendum fuit Oribasio ab hoc Auctoris sui instituto in Collectaneorum libro XI: imo ut perspicias, id negotium sibi solum traditum existimasse, ut plantae imaginem, non vires describeret, omnia ea, quae de viribus ejus breviter adjecerat Dioscorides, ille omisit. Contra vero Galeno in eo libro, in quo simplicium medicamentorum facultates enarrat, non propositum fuit plantam depingere, sed virtutes ejus persequi. Recte ergo Dioscorides & Oribasius praeter folia, caulem & radicem Britannicae ediderunt, recte vero eadem negligit Galenus. Sed ait Clarissimus Muntingius, Galenus dicit Britannicam in omnibus agrestibus lapathis esse persimilem, nisi quatenus nigrior & densior. Verum illa *in omnibus* apud Galenum non invenio. Verba sunt Galeni, quae ipse Auctor citat pag. 31. Βρεττανικῆς τῆς πόας ἐστὶ μὲν, καὶ τὰ φύλλα στυπτικὰ, καὶ τῶν χολωτικῶν τραυμάτων, ὅμοια τοῖς τῶν ἀγρίων λαπάθων, πλὴν ὅσον μελάντερα τε καὶ δασύτερα φαίνεται· ἐστὶ δὲ ὁ χυλὸς ὁμοίως στυπτικὸς ὥστε καὶ ἕψοντες αὐτὸν ἀποτίθενται τινὲς, ὡς δραστικώτατον τῶν στοματικῶν φαρμάκων. δοκεῖ γὰρ καὶ τὰ ἤδη σηπόμενα. *Britannicae herbae folia adstringentia sunt, & vulnerum adglutinatoria, agrestibus lapathis similia, nisi quatenus nigriora sunt magisque densa. Sed & expressus illis succus similiter adstringit. Itaque coctum quidam reponunt, tanquam inter stomatica medicamenta efficacissimum: videtur enim sanare etiam putrescentia.* Vides sola folia Britannicae eum similia dicere lapathis sylvestribus,

non

non etiam reliquas herbae partes. Neque Dioscorides similitudinem aliam notat, φύλλα, inquit, ὅμοια λαπάθῳ ἀγρίῳ, μακρότερα δὲ καὶ δασύτερα. Neuter autem horum, neque quisquam etiam alius radicem & caulem lapathi assimilavit. Quare de foliis explicanda verba Paulli ὁμοίαν τῷ ἀγρίῳ λαπάθῳ τὴν ἰδέαν. *Sylvestri lapatho specie similis.* Verba hujus produxit Auctor pag. 111: idque tanto magis credendum, quod ipse Paullus in praefatione libri primi scribit sese exemplo Oribasii, ex hoc atque ex aliis praestantissimis Medicis optima quaeque collegisse, pauca autem de suis addidisse; Galeni vero expositioni & verbis apprime conveniunt, quae de illa herba ipse annotat. Quis ergo credat Muntingio, haec de Aegineta illo scribenti pag. 112. *praeterea Paullus Aegineta vir singularis lubens Galeno subscribit, & expresse Britannicam facie & figura* OMNINO HOC EST IN OMNIBUS SUIS PARTIBUS, ERGO ET IN RADICE *quoque, sylvestri rumici persimilem esse dicit.* Et ne fucum facere videar, en ipsa Aeginetae verba, ut ab ipso Muntingio sunt descripta. Βρεταννικὴ στυπτικῆς ἐστιν καὶ κολλητικῆς δυνάμεως, ὅμοιον τῷ ἀγρίῳ λαπάθῳ τὴν ἰδέαν. ὁ δὲ χυλὸς αὐτῆς τὰς ἐν στόματι σήψεις ἰᾶται: Quae ita vertit Janus Cornarius, *Britannica adstringentis & glutinantis est facultatis, similiter velut lapathum sylvestre speciem praeferens, succus ipsius putrefactiones in ore sanat.* Quae quantum differant ab interpretatione Muntingii, nemo non videt. Idem dicendum de interpretatione verborum Aëtii & Arabum, nam quae inde hac in caussa ad sententiam suam confirmandam adfert, frustra in iis requiras. Et ne dubites per omnia non plane similem esse hanc herbam lapatho, & omnino ne ipsa quidem folia huic non convenire, audi Neophytum, qui φύλλα ei dat ὅμοια λαπάθῳ ἢ μείονα, ἢ μᾶλλον ἡδυόσμῳ, *similia lapatho aut minora & magis respondentia menthae.* Quae caussa est, cur Apulejus nihil dicat de lapathi convenientia, sed videtur eam comparare betae & damasonio, vide Muntingii Dissertationem pag. 119. Verum tempus nos vocat, ut medicam Clarissimi Viri manum videamus, qua Dioscoridi laboranti & vitiato succurrere studet. Non autem mollem eam ac suspensam cognosces, & qualis nunc in medicis commendari solet, verum asperam, immitem & violentam, quae vetustissimis temporibus probabatur, cum urendo & secando ulcera & mala exstirpabant. Ita autem ille pag. 112. *corrigendus est itaque Dioscoridis & Oribasii Codex, legendum.*

dumque censeo ῥίζαν δὲ τὴν μέλαιναν καὶ παχεῖαν, *radicem autem nigram & crassam.* Apud Dioscoridem est ῥίζαν λεπτὴν καὶ βραχεῖαν *radicem tenuem & brevem.* Caussam correctionis hanc tradit. *Sic enim Dioscorides & Oribasius Galeno, Aeginetae, Aëtio & Arabibus consentient. Rationi enim consentaneum est, ut minores & pauciores perioribus & pluribus cedant. Tum quia Dioscoridis exemplaria multis mendis infecta fuere, a quibus vix maximis multorum laboribus sunt repurgata, & etiamnum scatere liquido constat: si enim res tulerit, id facile demonstrabo.* Quod de dissensu Dioscoridis & aliorum scribit, is nullus est, ut modo tradidimus. Mendosiores esse Dioscoridis, quam aliorum priscorum Scriptorum Codices, incompertum mihi est, neque id ex praefationibus & castigationibus eorum, qui Dioscoridis libros cum Codicibus antiquis diligentius compararunt, animadverti. Sed, quod in primis observandum, illud est: tametsi in aliis nonnunquam capitibus dissentiant antiqui libri, in iis tamen, quae ad imaginem & formam Britannicae pertinent, unam omnium esse conspirationem, nec in iis verbis, quae mendosa arguit Muntingius, quidquam migrari, quae Criticis γνησιότητος maxima solet esse nota. Accedunt Dioscordi Oribasii Codices, in quibus etiam nulla diversitas olim fuisse videtur. Is Oribasius Medicinalium collectaneorum volumina XXV. scripsit Graece, jussu Imperatoris Juliani, quibus ea complexus est, ut ipse in praefatione testatur, quae praestantissimi medici reliquerunt. Diligenter autem & fideliter initio fere cujusque libri Scriptorem memorat, ex quo sua hausit: libro autem undecimo, quo de Britannica, auctorem inscripsit Dioscoridem, cujus sententiam in plerisque ita proposuit, ut a verbis ipsius vix discesserit. De Britannica autem haec habet. *Bretannica (aut Vettonica:) herba est, quae sylvestris lapathi habet folia, sed nigriora & hispidiora, gustum adstringentia, caulem non magnum producit, radicem vero exilem & brevem. Succus ex foliis exprimitur, qui ad solem & ad ignem cogitur.* Dedimus verba ex interpretatione Joannis Baptistae Rasarii, quam Henricus Stephanus secutus est inter medicae artis Principes. Graecos namque Oribasii hujus Collectaneorum sive excerptorum libros nunquam inspexi, forte nec plures alii. Hoc intelligimus, descripta esse omnia, quae de Britannica tradit, ex Dioscoride: verbaque ipsa, quae sollicitat, & loco movet Muntingius, ῥίζαν λεπτὴν καὶ βραχεῖαν Oribasio fuisse inventa in Dioscoridis

exemplari. Neque etiam aliter ea invenit in Oribasii Codicibus duobus Rasarius, quibus se usum scribit in praefatione ad Nicolaum Sammichelium. Veram autem caussam mutatae a Muntingio lectionis si cupis, haec est. Videbat ille, nullum nodum difficiliorem sibi objici, ut herbam suam persuaderet esse Britannicam antiquam, quam illum, quem Dioscorides nexuit. Eum autem cum arte dissolvere non posset, vi sibi secandum est ratus. Tibi ergo, qui haec legis, deliberandum trado; si tamen opus deliberato, Clarissimo Muntingio album calculum adjicere velis; an scriptis libris vetustissimis credere.

AD CAPUT XII.

Perperam Plinius citatus. Medici in castris Romanorum, etiam in itinere comites. iterum perperam Plinius citatus, item Juvenalis. Viborum etymon ex Frisiorum lingua. Wibel & Wype *Belgice calicem Rosarum significant.*

PAG. CXVI. *Plinius itaque Britannicae caulem tribuit non magnum.* At vero de caule nihil Plinius. Dioscorides tamen atque ex hoc Oribasius eum non magnum fuisse scribunt. Καυλὸν, inquit Dioscorides, ὃ ἀνίησιν ὀ μέγαν. Atque ne dubites, Neophytum de Britannica loqui, eadem Dioscoridis verba repetit. Oribasii autem interpres: *caulem non magnum producit.* reliqui vetusti nihil de caule.

PAG. CXVII. *Romani enim, omnesque, qui Romanis aderant, herbam plane ignorabant, ideoque Frisii illam Romanis demonstravere.* Si Romani illam ignorarunt, & non nisi a Frisiis acceptam demonstratamque didicerunt, quomodo quaeso illi, qui ante hanc Germanici expeditionem vixerunt, cognitam eam habere potuerunt; quibus tamen cognitam fuisse, aut saltem cognosci potuisse scribit noster pag. 28. & 30. sed tu vide ibi notas nostras. Verum dicet aliquis fortasse; Romani illi, qui cum Germanico in Frisia erant, ignorabant illam herbam, quia ii milites fuerunt, non medici. Sed sciendum, exercitum nullum Romanorum, castra nulla sine medicis fuisse: Imo etiam civis honestior non temere in viam sese dabat, aut

aut domo aberat, medico non comite. Inde Medicus legionis II. adjutricis memoratur in l. 1. Cod. de Professoribus & Medicis. Et Medicus hastatorum legionis VI. Luciano in libello πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν. Plura exempla in antiquis lapidibus prostant. Julius Caesar privatus adhuc cum Rhodum trajiciens a praedonibus caperetur, dimissis comitibus & servis ceteris, medicum tamen sibi adesse voluit: Suetonius in Caesare cap. 6. adde infra Muntingium pag. 138.

IBIDEM. *Sic enim postea Plinius. Ergo Frisii eam etiam, ejusque Florem suis nominibus vocasse debuerunt, ut quibus esset nota, & a quibus demonstraretur.* Haec apud Plinium non leguntur. Quaerant etiam alii in Juvenalis satyris hoc dictum, quod pagina sequenti Vir Clarissimus ei tribuit; *Quo quis indoctior, eo impudentior.*

PAG. CXVIII. *Quoniam flores Anginas ejusmodi depellunt, ab effectu rectissime Vibones vocati sunt.* De effectu Vibonum nihil dico. Paeoniae artis periti hoc inquirant: nominis etiam etymon, quod Muntingius ex lingua Frisiorum antiqua arcessit, Frisii scrutentur; quorum vocabula, quae Auctor recenset, mihi sunt incomperta. Ipse existimabam similitudine calicis rosarum, qui in proximis Frisiae terris *Wibe* & *Wype* in Gelria *Wibel* nominatur, nomen accepisse Vibones, quod nomen Plinius dicit fuisse floribus Britannicae. Calicem dico, quem granosum corticem nominat Plinius libro XXI. cap. 4. quo semina rosarum conduntur. Is florente rosa viridis, sed ubi folia ejus deciderint, & semen maturuerit, ruber est, hodieque a lautioribus ad mensae delicias condiri solet. Etymon vero Vibonum illi investigent, quibus lingua Germanorum ac potissimum Frisiorum notior est, quam mihi.

AD CAPUT XIII.

Muntingii interpretatio verborum Plinii refutata. Frisiorum, Cauchorum & finitimorum populorum Insulae non extra terras positae. Britannicae Insulae extra terras rejectae, & alius orbis censebantur a Romanis. Briten *apud Frisios quid? Britannicae etymon rejicitur.* Brit *apud Fri-*

Frisios quid? Britange *unde dicatur.* Brittannische Heide. *Brittenburgus non fuit armamentarium, non etiam condita illa arx a Druso.* Brittenbergi *qui montes, & unde dicti. Brittenburgi etymon refellitur. Becani originationes explosae. Apuleji Scriptura varia unde orta. Apulejus iste diversus Platonico. istius stilus notatus. Multa negligenter consuit. Scriptura ejus vitiata. Varia scriptura vocis Britannicae. Plinius sibi parum constat in rumice exponendo.*

PAG. CXXIII. *Nam vel ex ipso Plinii didicisse, insulas in Gallico Oceano extra terras esse quasdam, ut Frisiorum, Cauchorum, Sturiorum, Marsatiorum.* Non putaram usu mihi eventurum, ut de Plinii errore, aut dicam potius oblivione, iterum mihi dicendum esset, qua Britannicam ex insulis extra terras positis advectam scribit: quem Plinii lapsum etiam dudum Becanus animadvertit. Sed cum videam, vindicias hic postulari a Muntingio secundum Plinium, defendenda erit sententia nostra. Ita autem Vir Clarissimus vindicat Plinium, & verba ejus interpretatur, ut dicat, insulas Oceani extra terras positas, unde ille allatam scripsit Britannicam, esse Frisiorum, Cauchorum, Sturiorum, Marsatiorum. Credo autem Muntingium in animo habuisse hunc locum Plinii ex libro XV. cap. 15. *in Rheno ipso, prope C. M. P. in longitudinem, nobilissima Batavorum Insula, Cannenufatum, & aliae Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorum, quae sternuntur inter Helium & Flevum: ita appellantur ostia, in quae effusus Rhenus ab Septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter haec ore modicum nominis sui custodiens alveum.* Ecquis ex his arguat insulas Frisiorum, Cauchorum & reliquorum, qui in hoc capite a Plinio & Muntingio enumerantur, in Oceano atque extra terras esse sitas? Imo vero in Rheno eas positas esse dicit, id est inter Rheni ostia, atque adeo intra terras, non extra eas. Ad Oceanum, non in Oceano jacebant. Anne vehementer miremur omnes, si quis contendat, Hollandiam & Westfrisiam in Oceano atque extra terras positas? Et tamen necesse est, hoc dicat, quicunque Muntingii expositionem admittit. At vero de Britannicis Insulis si quaeras, recte eas Plinius maximorum Scripto-

ptorum exempla secutus in Oceano positas, atque extra terram rejectas scripsit. Neque enim Poetae tantum hoc de Insulis Britannicis praedicarunt, de quibus supra diximus ad pag. 30. sed & Historici ex vulgato hominum sermone & consuetudine ita loquebantur. Atque ob id Dion Cassius libro V. pag. 677. narrat, quum exercitus populi Romani in Britanniam trajiceret Plautio duce, milites aegre tulisse, sese extra terrarum orbem mitti. Καὶ οὗτος ὁ Πλαύτιος στρατηγήσας τὸ μὲν στράτευμα χαλεπῶς ἐκ τῆς Γαλατίας ἐξήγαγεν. ὡς γὰρ ἔξω τῆς οἰκουμένης στρατεύσοντες ἠγανάκτουν. *Plautius tum proconsul difficulter exercitum a Gallia abduxit indigne ferentem, quod extra orbem terrarum bellum esset gerendum.* Coepit autem iste sermo frequentari Romae inde a Julii Caesaris trajectu: Qui cum primus Romanorum Britanniam intrasset, alium se orbem terrarum scripsit reperisse. Auctor est Eumenius in Panegyrico, qui Constantio Imperatori est dictus, cap. XI.

PAG. CXXV. *Constat Frisios nostros, cum rem disjectam uniendam significare volunt, vel coagmentandam, comprimendam, consolidandam idque vi caloris, vel fortis inpressionis* Briten *dicunt.* Ergo Frisiis *Briten* idem est, quod nobis *Bryen*, id est in pultem coire aut comprimere: sed longum inde diversum est *bret*, diversum quoque *brit*. illud afferem etiam nunc significat, hoc nigrum aut varium, sed lingua vetusta. Omitto hoc loco ceteras originationes, ut *Vergobreti*, πρυτάνων, *praetorum*, aliaque rerum & populorum nomina, quae omnia ex Frisica lingua, & suo *briten* derivat Auctor, & forte iis probabit, qui Becani palato sapiunt. Si autem est, quod scribit pag. 127. *Brit* congestam solidamque terram significare, non intercedo, quominus nonnulla loca, quae memorat, inde nomen acceperint; sed si significationem a *briten* arcessit, nequaquam ei adsentior. Et quid etymo illo paludis, quae *Britange* dicitur, alienius, quam a *brit* & *angel* id est aculeo esse dictam? Imo vero multo, si hoc nomen paludi unquam fuit, probabilius est, appellatam esse a *Brittan* sive *britten* & *el*, nempe *Brittan-el*, id est Britannorum aquam, quae vox a vulgo deinceps mutata est in *Britangel*. *El* enim lingua antiqua Germanorum aquam significavit, ut Schilterus in vocabulario Teutonico probat, & multorum locorum nomina confirmant. Ab iisdem Brittis sive Britannis campus adsitus paludi *Brittensche* vel *Bretansche-heide* est dictus, vide Dissertationem nostram Cap. IV. pag. 45.

PAG. CXXVIII. *Romanorum armamentarium.* Male Brittenburgum armamentarium fuisse scribit, quem plurimorum errorem refelli in Dissertatione mea Cap. I. pag. 5. quod autem mox a Druso extructam Arcem addit, opinionem Cluverii, ut solet, sequitur, quam tamen similiter refutavi Cap. IX. pag. 100. Sed pedem promoveo ad *Brittenbergos*, quos montes fuisse dicit ad pagos *Leer* & *Sinnerswold*, eosque a suo *brit*, id est terra congesta, & monte dictos praecipit, atque eandem dicit originationem Arcis Britannicae. Sed si *brit* per se adgestum terrae cumulum denotat, quid opus addere *berg*, id est montem? quid enim mons aliud, quam terra congesta cumulataque? Quare si illi montes (*Brittenbergos* designo) in iis terris visuntur, quae a littoribus Britanniae oppositis haud longe sunt remotae, probabile est admodum a Britannis accolis, ut multa alia per eundem Oceani tractum loca, de quibus in Dissertatione nostra disputavimus, esse nomen adeptos. Arcem Britannicam vero, sive Brittenburgum in loco altiore fuisse non constat: in littore tamen aut prope littus fuisse certum est, ad quod si tumuli fuerunt olim, ut nunc sunt, forte in iis excitata fuit Arx; sed quia illi perpetui erant, longissimo tractu Oceano praetexti non huic magis loco, quam aliis, nomen dedisse videntur. Et tamen quomodo dare potuerunt, siquidem tumuli illi Oceani furoribus objecti non *bergen* aut *britten* vetustissima accolentium lingua, sed *dunen* appellati fuerunt, id quod a multis antiquissimis vocabulis declaratur? Verum quae de congesta burgi illius mole in loco eminentiore commemorat, quomodo ea congruunt illis, quae de eodem burgo pagina 128. tradit? *ego quidem hoc Romanorum castellum in plano apertoque littore extructum fuisse crediderim.* Nam si in plano littore extructum, quomodo a *berg*, & constructa eminentiori in loco mole appellationem cepit? Verum operae forsitan pretium fuerit cognoscere etymon Britannicae, ingenio Clarissimi Viri excogitatum, neque credo ulli doctiorum Virorum hoc tempore in mentem facile venturum. Hoc modo autem noster.

PAG. CXXXI. Brit *ergo consolidandi significationem habere indicavimus* tan *vero dens est, res scilicet omnium partium humani corporis siccissima, & durissima, cujus contrarium est* nat *quod humidum & mollissimum corpus denotat. Nunc vulgo delta subjungitur, scriturque* tand, *porro* ica *vil* hica *idem quod ejectio valet.*

Hyc

Hye *enim geminata vocali, quemadmodum in compositis a jacio & adjicio vel injicio, auditur, ejectionem rei alicujus vel excussionem notat.* Nempe hoc vult, si recte mentem perspicio. Britannica vox est ex tribus vocibus composita & conflata, ex *brit* id est consolido, *tan* id est *tand* & *ica* id est injicio. Haud dubie autem rationem etymi hanc putabit, quia Britannica herba confirmat dentem, ex scelotyrbe aut stomacace ejectum, aut saltem ejiciendum. Quam autem probet *ica* significare ejicere haec ponit. *Ipse enim singultus, in quo cum luctatione halitus vel corporis flatus ejectio est, vulgo dicitur hyc vel* hyck, *ipsa etiam pullorum exclusio.* Quis hanc in homine docto suavitatem non admiretur? sed fuit olim pretium huic insanienti sapientiae apud saeculum prius, cum Geropiana laudarentur [illegible]

[illegible]

Quae falsa ad coelum mittunt insomnia Manes.

Certe tam verum est hujus Britannicae etymon, quam vulgare illud nominis Becanus, quem urbani dictum dicebant quasi *Bec an nus* sive *neus*. In eundem censum refero *vristandicam* & φρυκτώρια, nam & ista ab eadem origine commode deduci posse Noster arbitratur: de illo vide pag. 1[illegible]. de hoc pag. 130. nec non ipsius Becani *Vritanicam* seu Vritandicam, de qua pag. 122.

PAG. CXXXVIII. *Totum autem negotium ex eo pendere videtur, quod olim in nostra terra Frisica Romani, & qui Romanorum castris aderant Graeci Medici, diligentes rerum naturalium indagatores, pronunciatae Frisiis Britannicae sonum non imitari, imo multo minus exprimere convenientibus litteris potuerunt.* Non puto inde variam Britannicae scripturam apud Apulejum esse ortam, cujus verba ipse Auctor citat pag. 159. Sed eam inputo aut Auctoris inperitiae, aut librarii oscitantiae. Nam longum ille a via aberrat, nec morosam Apuleji Philosophi Platonici, cujus alia scripta habemus, diligentiam in stilo perspectam habet, qui librum de herbarum medicamentis, in quo de Britannica, illius esse existimat. Omnia in hoc libello perperam & sine ordine ex aliorum scriptis consuta hiant, & quasi luxata sunt. Quod ad illa Apuleji verba attinet *Graecis Britanni vel Britannice* pag. 159. puto ea vitiata esse, neque enim in voce *Britanni* Graecam terminationem reperias. Scio varie pronunciata esse & scripta peregrina vocabula a Graecis, omnibus

bus tamen terminationem ex sua lingua addiderunt. Illa autem terminatio abest a voce *Britanni*, quocirca credo scriptum fuisse *Brytannice* vel *Britannice*, aut eo modo, quem multiplex hujus vocis scriptura recipit. Varie namque exarata fuit veteribus Graecis pariter & Latinis vox Britannia, ut Britania, Bretania, Brittania, Brettania & modo geminata littera n. Quae porro disputanda sunt de hoc Apuleji loco infra proferentur ad pag. 159. & 160.

PAG. CXXXIX. *Quo loco non alia herba intelligitur, quam haec nostra Britannica.* Videant Medici & Pharmacopolae. Nam lapathum agreste non ipsa est Britannica, certe Dioscorides & qui eum sequuntur, ab hac sejungunt. Plinius sibi parum constat in exponendo rumice, libro XIX. cap. 12. lapathum sativum illo nomine significare videtur. Verum libro XX. cap. 21. sylvestre, quod alii oxalidem vocant: neutrum tamen Britannicae nomine designat. Sed propero ad Cap. 16.

AD CAPUT XVI.

Suave commentum de honoribus herbae Britannicae discutitur. Claudius Imperator ex Britannia reversus an Bataviam & Frisiam adierit: Gallia Belgica, imo Batavia & Frisia non recte Belgium nominantur. A. Plautius Britanniae praefectus an in Batavia & Frisia fuerit. Is ovationem retulit ex Britannia; non etiam Britannicam herbam. Plantarum formae in nummis percussae. Britannica non in triumpho ostentata a Claudio. Neglexit Frisiam hic Princeps. Suetonii locus examinatur. Navalis corona qualis? Britannica non Romae in capitolio aut Palatio suspensa. Non in Marianis hortis consecrata. Duorum Callisthenum aetas. Neuter Britannicae aut Neroniani Colossi meminisse potuit. Sybaris urbs eversa nomen amisit. Non Callisthenes, sed Plinius Neronis Colossum memorat. Antonius superioris Germaniae Praeses.

sis. Britannicae usus quando Romanis perierit? Medicis Arabibusque unde innotuerit? Quando Frisiis ignorari coepta? Apuleji nonnulla de Britannica explosa. Etymon ejus explosum. Damasonion & alisma plantae an different? Multae & variae populorum linguae in Italia. Sero demum una omnium esse coepit. Britannica non vox Italica sed Frisica. Bibo, id est Vibo, male Vido appellatur. bibo pro vivo. Inscriptiones antiquae expositae. Apuleji error. Britanni non est vox Graeca. Abietini & Arietini in scribendo differentia librariis inputatur. Liquida non recte argento conservantur.

PRimum multa in eo de Julii Caesaris, Augusti, Tiberii, Germanici, Caligulae rebus in Germania gestis narrat, & loca nonnulla Frisiae explanat. Sunt in his, quae abeunt a mea opinione, verum ea ἰδὲν πρὸς Διόνυσον; illud vero deerat Britannicae, quam divinis laudibus effert Muntingius, ut in Urbe, luce orbis terrarum, atque arce omnium Gentium, atque illic in Capitolio Deorum immortalium Curia & Palatio, Dis proximorum sede collocaretur. Parum enim fuit maximi Imperatoris nominibus honoribusque eam interponere, quo supra ad Cap. II. & pag. 6. nisi & urbi imperii maximi domicilio, augustisque Deorum templis, & sacris Principum Romanorum penetralibus, magnifico triumpho inferretur. Rem an dicam potius fabulam his narrat Auctor noster pag. 156. *Praeterea Claudii quoque Caesaris, qui devictis Britannis per paucos dies in Belgio commorans, (sex enim mensium spatio Roma exiens totam Britanniam subegit & Romam denuo ingressus est) audita ab Aulo Plautio Senatore (quem Britannorum ademtis prius armis, Ducem constituerat, postquam fratres Catarctum & Tugodunium, illorum Imperatores superasset) hujus cum admiratione Britannicae fama, sibi illico demonstrari, in tabula depingi, Romam deportari inter cetera spolia, cum navali quadam Britannorum corona, Classicis ea in regione victoribus exhiberi consueta, aliisque teste Suetonio, domiti quasi Oceani insignibus in Triumphum duci, nec non in Capitolio, ut Palatio debitam suspendi curavit, quae tamen postea*

 Nero-

Neronis Principis mandato, cum ipsius propria centum & viginti pedum longitudine figura, ut Callisthenes Historiarum Scriptor adserit, in Hortis locata Marianis fulmine accensa, cum Horti potiore parte conflagravit. Ecquis non obstupescit, herbam barbaricam tanto honore affectam? Imo quis rem tam praeclaram, tam memorandam atque insuetam legens auctoritatem veteris Scriptoris non requirat? Sed rem ipsam adgrediamur & singula in ea expendamus. Scribit Claudium redeuntem ab expeditione Britannica per paucos dies in Belgio esse commoratum. Belgium credo dicit Bataviam, sive Hollandiam & Frisiam, aut certe Galliam Belgicam: quam apte, docebit Philippus Cluverius in Germaniae Antiquae libro II. cap. 2. Deinde Claudium Imperatorem in Batavia fuisse ignoro, & quanquam recentiores rerum Batavicarum Scriptores id affirmant, eorum tamen neminem vidi, qui idoneis id argumentis docuit. Et tamen si Muntingio credimus, in illa regione & finitima Frisiorum terra Imperatori huic herbam Britannicam A. Plautius ostendit. Sed similiter edoceri cupio ex ullo Scriptore vetusto, hunc A. Plautium in his oris fuisse versatum, aut in Gallia Belgica quidquam rerum gessisse. Attigisse eum Belgicam facile do, non tamen alio consilio attigit, quam ut inde in insulam curae suae demandatam trajiceret. Britanniae namque praefectus fuit ille Plautius a Claudio, ex qua Provincia etiam ovationem retulit, testibus Dione libro LX. Tacito Annalium libro XIII. cap. 32. & in vita Agricolae cap. 14. Suetonio in Vespasiano cap. 4. Eutropio libro VIII. cap. 13. Non autem ille in Britannia sua Britannicam Imperatori detulisse existimandus est. Nam cur eam Britanniae Praefectus ostenderet, quae non Provinciae suae, sed Frisiae herba erat, toto Oceano a se divisae? Neque enim a Britannicis Insulis Britannica herba nomen invenit, ipso Muntingio consentiente, sed aliunde. Quid ergo Britannica ad A. Plautium Britanniae Praesidem? imo quid ea ad Imperatorem de Britannia triumphum ducentem? Non me latet, magnam fuisse nonnullarum plantarum arborumque famam, qua impulsi populi, in quorum agris illae nascebantur, formam earum nummis expresserunt, ut Sylphii Cernenses, Palmae Cretenses aliique, vide Illustris Viri Ezechielis Spanhemii Dissertationem IV. de usu & praestantia Nummorum. Nec ignoro solitos fuisse Imperatores rara quaeque atque insignia, certe insueta & invisitata Romae in triumphis ostendere, nec negare au-

sint herbas & plantas, quarum magna nobilitas erat, in ferculis triumphorum aliquando praelatas fuisse; tantam tamen famam Britanniciae herbae ex nomine cognovi; &, si fuit, dico tamen, a Claudii Imperatoris triumpho Britannico, eam herbam alienissimam fuisse. Praeterea non credibile eam studio Frisiorum ductum herbam eorum domesticam in honore habuisse, plane namque hoc solum sive Frisiam neglexit. Nam cum ante imperio Romano ea pareret, Corbulonem trans Rhenum arma victricia circumferentem referre praesidia cis Rhenum jussit, ut docet Tacitus Annalium II. cap. 19. Sed pergit Muntingius: *Cum navali quadam Britannorum corona, classicis ea in regione victoribus exhiberi consueta.* Quam Britannorum coronam navalem designat nescio. Sed quia Suetonium testem citat, eum audiamus de hac corona. Is autem in Vita Claudii Cap. XVII. Ubi de triumpho Claudii Britannico: *Ad cujus spectaculum commeare in urbem non solum Praesidibus Provinciarum permisit, verum etiam exulibus quibusdam: atque inter hostilia spolia navalem coronam fastigia Palatinae domus juxta Civicam fixit, trajecti & quasi domiti Oceani insigne.* Non hic Britannorum coronam describit, quam consueverunt victoribus pugna navali (victores classicos Muntingius nominat) tribuere, de qua Britannorum corona nihil mihi perspectum unquam, sed talem, qua Augustus Agrippam donavit, de qua Virgilius Aeneidos libro VIII. v. 683.

Cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.

De eadem Claudianus Laude Serenae v. 192.

Hunc domitis ambit rostrata carinis.

Quid haec sibi velint, quae sequuntur apud Clarissimum Muntingium nescio *in Capitolio aut Palatio debitam suspendi curavit.* Augerem hic typographi mendum, si legendo *aut Palatio* tolli error possit. Discreti enim sunt montes & diversae in montibus substructiones Capitolium & Palatium. Si autem locum suspensae navalis coronae designat Muntingius, non debuit dubitans Capitolium aut Palatium nominare, sed solum Palatium, quia id solum Suetonius me-

memorat. Ex me autem si quaeris, ubi herbam Romae suspensam fuisse sentiam, nullum ei locum adsigno in illa urbe, nisi qui datus fuit ei in olentibus Pharmacopolarum tabernis & thecis. De fabula autem ita existimo: Legerat credo auctor commenti hujus lauri ramos Jovi Capitolino, & ex quercu Palatio domuique Caesaris esse consecratos aliquando: his autem Britannicam suam nil deteriorem opinatus est, quare eosdem ei honores tribuit, quantumvis Scriptoribus antiquis indictos. Sed ne quid desit fabulae, accipe nunc miserandam ejus catastrophen. *Neronis Principis mandato*, inquit, *cum ipsius propria CXX. pedum longitudine figura, ut Callisthenes Historiarum Scriptor adserit, in Hortis locata Marianis fulmine accensa, cum Horti potiore parte conflagravit.* Scire hic cupio testem aut Scriptorem Classicum, qui hujus mandati meminerit: similiter scire aveo, quis ille Callisthenes sit Historiarum Scriptor, quem memorat scriptum reliquisse incendium illud Britannicae herbae & colosseae Neronis imaginis. Duo memorantur Historici nomine Callisthenis in veterum monumentis. Alter vixit tempore Alexandri Magni, cujus & exercitum est secutus; notissima est contumacia hujus, sive mavis constantiam appellare, & tetrum supplicium. Alter fuit domo Sybarita, cujus meminit Auctor de Fluminibus, eo in loco, ubi Ararim describit, & ad partes vocat librum illius XIII. rerum Gallicarum. Hujus aetas, incerta est visa Vossio de Historicis Graecis libro III. longe tamen vetustior est colosso Neronis. Si quidem Timagenes ex hoc Callisthene multa mutuatus dicitur, cujus Timagenis meminit Strabo libro IV. pag. 188. vide Maussacum in notis ad Auctorem illum de Fluminibus. Et sane si ex Patriae nomine argumentandum, vetustissimus ille sit Scriptor oportet. Sybaris namque eversa nomen suum amisit, ut tradidere Strabo, Aelianus, Stephanus atque alii. De anno eversionis videatur Scaliger in animadversionibus ad Eusebium anno MCCCXIII. videat ergo alius, quis sit Callisthenes colossi Neroniani & Britannicae Scriptor. Imo videat, quis Auctor sit lepidae fabulae, ut Britannica herba Claudio Imperatori demonstrata, Romam cum triumpho deportata, in Capitolio Palatiove suspensa, deinde a Nerone Imperatore in hortis Marianis collocata & tandem incendio extincta fuerit. Ad extremum quis Callisthenem hujus rei Auctorem confinxerit? Nam haec a Clarissimo Muntingio conficta esse animum inducere non possum. Illi de re tota rectius existimabunt,

qui

qui viri hujus montis perspectos habent. Mihi quidem religio est, opinando de laudati Viri integritate dubitare. Verba autem si consideres, quibus res illa a Muntingio exponitur, dicas accepta esse non ex Callisthene aliquo, sed ex Plinii libro VIII. cap. 7. in quo ita. *Nero Princeps jusserat colossum se pingi CXX. pedum in linteo incognitum ad hoc tempus. Ea pictura cum peracta esset, in Lamianis hortis* (ita habent vulgatae Editiones, quae tamen in margine ex aliis Codicibus exhibent *Maecenatianis* & *Marianis*, quae lectio probata Muntingio) *accensa fulmine, cum optima hortorum parte conflagravit.* Iterum cognoscis nihil in his de Britannica, & quae de laudibus ejus adferuntur a Muntingio, ad speciem esse ficta.

PAG. CLVII. *Deinde & Neronis Imperatoris.* Ordine hinc enumerat Imperatores usque ad Domitianum, qui in Belgio, id est Germania inferiore bellum gesserunt. Sub Domitiano autem Lucium Maximum nominat, *qui Antonium Belgarum Gubernatorem ingenti praelio vicit.* Forte autem erunt nonnulli, qui inde me redarguant, quod scripsi in Dissertatione capite ultimo mihi nondum probatum, movisse in Batavos Domitianum. Si enim Antonius in his regionibus ingenti clade superatus est, certum est, in partibus quoque Batavos fuisse. Verum salva nobis res est, si quidem vera praedicant Suetonius & Epitomator Aurelii, quorum uterque Antonium superioris, non inferioris Germaniae Praesidem fuisse scribit. Illum vide in Domitiano cap. VI. hunc Cap. XI. Germania autem superior longe remota a Batavorum & proximorum populorum regionibus. Verum quid opus recensione longa Imperatorum, qui Germanis arma intulerunt ad id, ut doceat Romanos stomacace & scelotyrbe laborasse. Quanto satius fuerat docuisse Romanorum milites per omnem Rheni tractum ad Oceanum, ubi violentius malum illud serpit, praesidia habuisse perpetua? quae quidem res testibus nullis indiget.

PAG. CLVIII. *Quamvis postea ab Avicenna rursum demonstrata sit.* Sed rogo, ubi demonstrata denuo sit herba Britannica ab Avicenna, quam Clarissimus Auctor periisse scribit Gothorum & Normannorum irruptione? An in Germania? non puto, Arabs enim fuit Avicenna. Sed quae hic de Britannica memorat, ex Graecorum scriptis hausit, quae eum legisse cognitum est: tu inspice testimonium ejus Medici de hac herba in Dissertatione Muntingii

pag. 52. & cum Graecis Scriptoribus conferendo, intelliges autem, me vera monuisse. Per Barbarorum irruptiones cognitionem Britannicae periisse Romanis verum arbitrer, nisi tamen hi plantam in Italiam aliasque regiones dudum ante traduxerant. Frisiis autem similiter periisse & barbaris in Frisiam adventantibus ignotam fuisse non arbitrer. Nam usum ejus post discessum Romanorum mala continua retinuerunt, quem & ante Romanorum adventum docuerant. Sed cognitionem ejus & usum interiisse plane per illa tempora puto, cum Frisiae & finitimarum regionum populi Medicos Hippocraticis studiis innutritos adhibere coeperunt, qui aut ignari Britannicae, aut etiam domestica, communi eruditorum vitio, tanquam protrita & vulgaria despicati, extera & peregrina, ipso nomine ignoto veneranda, ad aucupium famae apud vulgum in honorem adduxerunt, relictis vulgaribus herbis vetulis iis & rusticis medicantibus, qui ad depellendos epidemicos morbos non nisi domesticas herbas, id est in patria natas, colligunt, ad miraculum usque validas saepe & praesentes, quas & praesentiores fore putem in divitibus, si novae gulae ingenia his non novos morbos crearent, aut Medici illi agrestes arte curationem temperare discerent. Verum hujusmodi quae sunt, viris consultioribus arbitranda transmitto.

PAG. CLIX. *Ejusque veri sunt commentarii.* Non nego veros esse Apuleji alicujus commentarios, Apuleji tamen Medaurensis esse, atque ejus, qui nobis Metamorphoseon libros & Apologiam aliaque reliquit, non opinor. Exposui de hac re sententiam meam supra ad pag. 138.

IBIDEM. *Bretanica hoc est beta altera, scilicet nigra.* En aliud Britannicae etymon ab Apulejo profectum, Bretanica dicitur quasi beta altera. Quis neget hoc dignum acumine Philosophi Medaurensis, hominis doctissimi? Si r deleas in prima vocis parte, facile inde beta exibit. restat ex eadem voce *nica* aut *anica*, sed in qua lingua illud alterum significet, quaero. Si constat auctorem hunc Philosophum fuisse, ex hoc uno eum Stoicorum praeceptis formatum dicerem, quorum ineptias non dissimiles olim Cicero risit.

IBIDEM. *Damasinion vel Damasinion.* Credo herbam significari, quam Plinius libro XXV. cap. 10. Dioscorides Libro III. cap. 69. aliique Medici Damasonion nominant. Addit Plinius, nonnullis alisma nominari.

IBIDEM. *Italis.* Hoc modo locuti sunt seriores Scriptores, cum una

una Italorum, universaeve Italiae lingua esse coepit. Tempore vero Apuleji Medaurensis diversa fuit ratio. Nam cum variae essent Gentes & Populi in Italia, varia etiam Italorum fuit lingua. Aliter namque Romani sive Latini atque horum coloni loquebantur: aliter Hetrusci, rursus aliter Majoris Graeciae populi. Et tamen si verum volumus, non proprie Italis debetur vox Britannica, sed Frisiis, ut supra ostendimus ex Plinio, quem Plinium ipse quoque Apulejus Auctor legit atque ex eo lacinias decerptas deformi suo panno insuit.

IBIDEM. *Male enim bibo legitur.* Ergo scriptura *Bibo* damnatur Auctori, mihi vero unice illa probatur. Vibones nominat Plinius, V namque in B saepe transit, ut recte notatum est Muntingio nostro in sua Dissertatione pag. 120. sic BIBO pro VIVO Salvinius in Inscriptionibus Hetruriae pag. 266. SE BIVO, id est vivo atque ita *bibere* pro vivere in hoc Aviani nostri versu fabulae VIII. invenerat Joannes Cabeljavius.

Contentum propriis sapientem BIBERE *rebus.*

Cujus Cabeljavii excerpta Codicum, quos ipse inspexit, mecum nuper communicavit Joannes Albertus Fabricius, Vir non doctrina, quam studio promovendarum litterarum nobilior. In iisdem excerptis inveni *conbenit*, *bobes.* Fabrettus Inscriptionum cap. I. n. 92. BIDIT pro vidit & pag. 81. n. 102. BIBIS pro vivis. nec non CONBIBONES, id est convivones Pricaeus ad Apulejnm Metamorphoseon pag. 39. in eo vero abit Apulejus Medicus a Plinio, quod hic flores Britannicae vibones appellat, Apulejus vero herbam ipsam vidonem aut potius dicam vibonem dixit.

IBIDEM. *A Graecis dicitur Britanni vel Britannice.* Opto ostendi mihi Graecum Scriptorem, qui Britanni nomine appellet, tu consule, quae supra disputavimus ad pag. 138.

IBIDEM. *Vidon.* imo vibon usus est Corruptis Plinii codicibus Apulejus.

PAG. CLX. *Pro arietino cornu abietinum.* Ex quocunque haec descripserit Apulejus, certum est variasse aetate Apuleji jam Auctoris illius Codices, ex quo haec depromta sunt, quorum alii abietinum, alii arietinum praetulerunt, hanc enim discrepantiam non Auctoris esse puto, sed librarii aut Criticorum.

IBI-

IBIDEM. *Argenteum.* Sed an emendatior sit haec lectio, Medici dijudicent, mihi videtur pulvis recte argenteo vase conservari potuisse, non item succus. Argentum namque liquida omnia corrumpere solet, nisi forte ea sit succi Britannica expressi natura, ut argento non vitietur, quod expertus credam.

AD CAPUT XVII.

Unus fons aquae dulcis in loco Britannicae. Altingii laus. Perrari in Frisia fontes. Fons Oldeborn obturatus. Fata fontis aquae dulcis per ea loca.

PAG. CLXXXIV. *Loci scilicet restant considerationes.* De loco pauca Noster, tu plura de eo vide disputata in Brittenburgo.

IBIDEM. *Jam dulces aquae palustribus Frisiae locis sulphureis ac bituminosis potissimum tanquam fontibus ortum suum habent, & per fossas mare versus defluunt.* Haec eo pertinent, ut doceat fontem aquae dulcis, quem potum Plinius libro XXV. cap. 3. scelotyrben & stomacacen inducere scribit, in ea terra esse, in qua ipse Britannicam herbam invenit, nam & hanc herbam fonti vicinam fuisse Plinius videtur significare. Verum Muntingius noster fontes memorat, Plinius autem unum tantum & eum solum istic fuisse docet. Maritimo tractu fons erat aquae dulcis solus. Imo si Muntingii verba inspicias, intelliges, quos dicit fontes vere hoc nomine appellandos non esse. Incilia enim sunt per quae aqua stagnans deducitur. Vide etiam, quam diversus ab Altingio abeat noster Muntingius, Scriptore & rerum vetustarum indagatore sagacissimo, qui, quod multo maximum est, regiones illas, in quibus herbam Britannicam a se inventam testatur Muntingius, probe perspectas habuit ut Groninganae civitatis & Civis & Professor. Is autem in notitia Germaniae inferioris parte I. in voce Fons aquae dulcis perraros in illa regione fontes esse scribit, quare aut obturatum illum fontem noxium opinatur, cujus exemplum ponit in fonte Oldeborn, aut Oceano mersum & obrutum fuisse, addidi in Brittenburgo pag. 41. etiam aliam conjecturam, ad similitudinem aliorum fontium exaruisse eum forte.

A D

AD CAPUT XVIII.

Instituitur comparatio Britannicae antiquae & Muntingianae, & differentiae utriusque ostenduntur. Differunt autem Radix, Folia, Caulis, Flores & Florum tempus.

Pag. CXC. Hoc loco Clarissimus Muntingius herbam describit, quam Britannicam autumat. Operae pretium autem fuerit utramque inter se conferre & comparare.

De radice Britannicae suae ita Muntingius: *crassa, magna, rotunda, lata ac omnino spongiosa (annosa dum sit) & manus longitudinem modo magis, modo minus continente.*

At vero de antiquae Britannicae radice Dioscorides ῥίζαν λέπτην καὶ βραχεῖαν *radicem tenuem & brevem:* eadem repetit Oribasius. Vides autem haec nequaquam convenire Muntingii herbae. Vidit idem Muntingius, qui, ut in suam illum sententiam pertraheret, alia verba substituit, de quibus mentem meam exposui supra ad pag. CXI.

De Foliis Muntingius: *colore ac parte superiori quasi saturo viridi & quasi purpuro-nigricante vel potius caeruleo atrovirentia tristia & non fulgentia.* Multis verbis id agit, ut nigrum colorem aut saltem nigricantem Britannicae suae vindicet, qui tamen ab ea alienissimus est. Imo nihil saturi, nihil atri aut purpurei quidem inveni quidquam in ea planta, quam Clarissimus Croeser ad me misit, nisi quod deprehendi exiguas quasdam maculas rufas, aut dicam potius rubiginosas, quales in lapathorum foliis ex vitio quodam, aut in fibris eorum animadvertere solemus diligentius inspicientes. Sed alium colorem a lapatho diversum in Britannica reperiri ex Dioscoride, Oribasio atque aliis vetustis Medicis discimus, nam tametsi in ceteris folia ejus fere lapathi similia sunt, in eo tamen differunt, quod Britannicae nigriora sunt. πόα ἐςὶν ἔχουσα φύλλα ἐμφερῆ λαπάθῳ ἀγρίῳ,

ἀγρίῳ, μελάντερα δ' *herba est habens quidem folia similia lapatho agresti, sed nigriora.* idem docet Galenus. Imo consului folia plantae illius, cujus mihi copiam fecit Celeberrimus Croesius, agrestis lapathi foliis, quod in suburbanis Arnhemiae locis, & universa Gelria conspicitur, vere autem intellexi, hujus foliis plus obscuri & nigricantis viroris inesse, quam Muntingianae Britannicae. Verum non viror talis, aut nigrities quaedam subobscura requiritur in Britannica, sed nigrities ejusmodi atque atritas quae carboni propria, quam & caussam fuisse puto, cur nonnulli teste Neophyto ἀνθρακαβότανον eam dixerint. atque hinc Apulejus quoque Britannicam, quasi betam alteram nominari scribit, verum, ut addit, *nigram.*

Ad caulem pergimus. Muntingius, *Caulis,* inquit, *surgit unicus, aut pro magnitudine vel annositate plantae plures, duos, tres & quatuor interdum pedes longus.* Quae sane mensura in πόα aut herba non exilis sed magna est. Contra vero Dioscorides καυλὸν δ' ἀνίησιν οὐ μέγαν *caulem emittit non magnum.* haud aliter Oribasius, nec non Neophytus, ut intelligas eum de Britannica loqui, vide quae notata sunt ante a nobis ad Pag. LXVIII.

Ad Flores quod attinet, suae herbae Muntingius tribuit *flosculos colore virides.* Britannicae vero Neophytus ἄνθη ὑπ' ἄκρου πορφυρά. *flores in summa parte purpureos.*

Tempus etiam non convenit, quia utraque herba florescit, Muntingius scribit sub Junii mensis exitum vel Julii initium herbae suae flores prodire. Ex Plinio vero & Apulejo intelligimus, flores Britannicae jam esse, antequam tonitrua audiantur. Ita enim ille: *Florem vibones vocabant, qui collectus prius quam tonitrua audiantur, & devoratus, securos in totum reddit.* Apulejus: *ad Anginam, quam Graeci Synanchen vocant, Britannicae herbae Flos, antequam quis tonitru audiat, collectus & devoratus, eam per totum annum declinabit.* Si autem Britannica Plinii sit herba illa Muntingii, vix fieri potuit, ut flores ante tonitrua fuerint collecti. Raro enim, imo nunquam, si recte memini, per meam aetatem contigit, ut ante Julium mensem aut exitum Junii, quibus demum florere incipit herba illa Muntingii, in his terris tonitrua non audiantur. Quin imo ex hoc Plinii indicio existimes, primo vere aut saltem eo adulto,

flo-

floribus vestiri Britannicam. Addit Vir Clarissimus, tonitrua fieri ut plurimum canicularibus, neque equidem nego frequentiora esse per eam tempestatem; audiri autem tum primum inobservatum mihi est.

Reliquum nunc est, ut Britannicae antiquae & Muntingianae vires expendamus, sed

quod Medicorum est

Promittant Medici.

Iidem etiam hoc praestent, ipse quod promisi me inplesse puto.

FINIS.



INDEX MONUMENTORUM ET SCRIPTORUM VETERUM.

Qui aut citati sunt in hoc opere aut praeterea laudati, expositi, reprehensi, castigati. Illos Numerorum ordo prior, Hos alter ordo designat.

A.

BE-

PAL-

TA-



INDEX

INDEX
SCRIPTORUM
RECENTIORUM.



INDEX

INDEX
VOCUM ET RERUM.

Ar-

runt

Burgi

Da-

D.

G.

Gual

L.

Me-

N.

O.

Ori-

Φegu-

Q.

Qua-

T.

Vach-

FINIS.



